DE EFFICACIA GRATIÆ *Convertentis*, Ejúsque agendi modo,

DETERMINATIO

habita *Cantabrigiæ* in Scholis Theologicis, *A. D.* 1658.

Pro gradu Doctoratûs in S. T.

Per SAM. GARDINER, *S. T. D.*
Coll. Corp. Christi ibidem non
ità pridem *Socium*.

CANTABRIGIÆ,
Per *Johannem Field*, celeberrimæ Academiæ Typographum. 1660.

9245:78

Optimæ Matri

Academiæ CANTABRIGIENSI,

Ornatiſsimis Collegiorum Præfectis:

Nominatim

D. RICHARDO LOVE,

Et

D. ANTONIO TUCKNEY,

Publicis S. Theologiæ Profeſſoribus,

SAMUEL GARDINER

Hanc ſuam *De gratiæ convertentis efficacia*

DISSERTATIONEM

in debitæ obſervantiæ teſtimonium

D. D. D.

QUÆSTIO
impræsentiarum discutienda, & determinanda, ità se habet.

An Efficacia gratiæ convertentis, ut convertentis, consistat in sola suasione, an etiam in potenti Dei actione, eâq; invictâ, indefectibili, & aliquo modo irresistibili?

QUæstio hæc, (quod vobis, *Auditores optimi*, facilè innotescit) maximi momenti est, à cujus determinatione aliæ quamplurimæ subtilioris notæ in Theologia controversiæ dependent. Si enim in confesso fuerit, Deum actualem voluntatis in conversione peccatoris, gratiæ suæ vocanti, & excitanti assensum, non *è nobis*, aut infitâ animæ facultate, *persuadendo elicere*, vel *à nobis*, aut ullis vitæ spiritualis, ut loquitur *Corvinus*, post lapsum reliquiis, (positâ qualicunque gratiæ sufficientis, aut excitantis assistentiâ) *expectare*, sed *per gratiæ suæ* adjuvantis *efficaciam, verè & potenter, in & cum* nobis *efficere*; idq; *antecedenter*, non tempore quidem, sed naturâ & causalitate, ad ipsam voluntatis cooperationem, ex *sola* illa

Contr. *Molin.* c. 32. §. 24. *Unde sequitur neminem in peccatis mortuum esse.* Vide Collat. Hag. p. 279, 281. & *Bell.* de grat. & lib. arbit. l. 6 c. 15. p. 802. ubi asserit, *Voluntatem sine gratia habere vires imperfectas, & potentiam remissam ad bonum spirituale ligatam & impeditam.*

gratiæ efficacitate *indefectibiliter* futuram, liquidò constabit, advertente clarissimo *Prideaux*, Collatoribus Hagiensibus etiam minime diffitentibus,

Lect. 4. De convers modo. In form. status controv. p. 137.

Primò, Deum neminem, ob præviſum bonæ voluntatis motum, gratiæve univerſali, ſeu ſufficienti aſſenſum, ad vitam æternam eligere; cùm abſque efficaci eundem aſſenſum in nobis operandi voluntate (cauſâ bonorum omnium, præſertim ſupernaturalium primâ) nil tale in homine lapſo, gratiâ qualicunque adjuto, prævidere potuerit, Imò, liquebit abſolutum electionis decretum, à quo abhorrent adeò nonnulli, nihil aliud eſſe, quàm *abſolutum*, & ratione voluntatis humanæ præoperantis, *inconditionatum* propoſitum, gratiam hujuſmodi efficacem largiendi, quâ actualis convertendi voluntas, in peccatore certiſſimè perficiatur. *Prædeſtinatio* enim, definiente *Auguſtino*, *eſt præparatio beneficiorum, quibus certiſsimè liberantur, quicunque liberantur.* Si igitur Remonſtrantes bonâ fide nobis conceſſerint, *totam* voluntatis in bonis actibus (verba *Corvini* ſunt) *actuoſitatem*, à gratia Dei, in ſolidum proficiſci, abſolutum de ea adminiſtranda decretum, neceſſariò iis agnoſcendum eſt. Quæritur enim, cur Deus gratiam hujus bonæ voluntatis, gratiæ prævenientis, ſeu ſufficientis auxilio rectè utentis effectricem, uni conceſſerit, & non alteri? quod, vel in hominis voluntatem ſine gratia ad agendum neceſſariâ, bene agentem, quod implicat, vel in abſolutum Dei beneplacitum, reſolvere coguntur. *Arminius* ſanè ingenuè agnoſcit, adminiſtrationem gratiæ efficacis procedere, ex decreto prædeſtinationis, quod ſi verum ſit, tum non decreta eſt hæc gratia efficax, neque fides ex ea oriunda, prævideri potuit, *ante* vel *extra* decretum prædeſtinationis, ut rectè infert doctiſsimus *Tuiſsius*.

Deus in prædeſtinatione, ſua futura facta præſcivit. Aug. de præd. Sanct. c. 17 *Prædeſtinâſſe eſt præſciſſe quod fuerat ipſe Deus facturus.* Aug. de bono perſev. c. 18. De bono perſev. c. 14.

Contr. Molin. c. 32. §. 27.

In exam. Perſect. 46.

Secundò,

Secundò, Sequetur etiam gratiam illam, ut vocant, universalem, seu sufficientem, per quam hominibus bene agendi, si modò velint, aut, ut loquuntur Remonstrantes, si novam contumaciam non opponant, hoc est, si modo non nolint, voluntas conceditur; non esse mortifero voluntatis vulneri sanando, nisi quoad *posse* solùm, sufficientem. Ratio est, eo quòd peccati originalis vis & virus ipsi potissimùm voluntati insideant; proindéque ea gratia convertendis peccatoribus sit omnino necessaria, quæ bonum agere non modo *ut possimus*, aut *si velimus*, vel quod idem est, *minimè nolimus*, sed *absolutè ut velimus* operatur; cùm hominis lapsi voluntas bene volendi impotentiâ maximè laboret, imò malevolendi contumaciâ.

Nunc postea quam est illa magni peccati merito amissa libertas, majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Adjutorio non solum sine quo non possint si velint, sed quo in iis operatur & velle, &c. Aug. de cor. & gr. c. 12.

Tertiò, Consequetur exinde etiam sanctorum perseverantiam, quanquam, quoad ipsorum liberum arbitrium, multis infirmitatibus, casibúsque obnoxiam, satìs adhuc in efficaci Dei gratiâ securam consistere; utpote quæ sine nobis, hoc est, nobis gratiæ efficacitatem, nec procurantibus, nec promoventibus in nobis, ut loquitur *Augustinus*, ut bene velimus operetur; homines etiam antecedenter naturâ ad liberi arbitrii cooperationem, ex nolentibus volentes, ex errantibus perseverantes, faciendo.

De gr. & lib. arb. c. 17. *Potest Deus voluntates in lapsum pronas convertere, ac dirigere in gressum bonum.* Aug. de Persev. c. 7. Scripta Synod. artic. 3. & 4. p. 20. & 180.

Quarto, Gratiam autem hanc, quæ homines ex nolentibus volentes facit quenquam inde *cogere* quod Remonstrantes asserere haud verentur, nimis absurdum est; hominem enim *volentem* agere, & *coactum*, planè repugnant; ut ipsi alibi concedunt. Nec enim quia Deus *facit* nos velle, ideo nos *non volumus*, sed potiùs, ideo *volumus*; ut rectè *Capreolus*.

In 2. Sent. dist. 28. quæst. 1.

Ultimò, Perspicuum erit, Deum rebelles licèt hominum

Deus habet cordium quo placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. Nunquid ille poſſit adverſari Dei voluntati, qui in ejus corde operatus eſt ut vellet. Aug de cor. & gr. c. 14.

minum voluntates, *fortiter* ſimul & *ſuaviter* ſuperare innatámque mali cordis reſiſtentiam, omnipotenti facilitate tollere poſſe, cùm eam in converſione peccatoris gratiæ virtutem ordinariè exerat, quæ hominem ex nolente volentem faciat, & quæ à nullo duro corde reſpuatur, cùm à Deo eum in finem (quem certiſſimè ſemper conſequitur) detur, ut mali cordis durities per quam reſiſtit, & ſine quâ, quoad hîc, & nunc reſiſtere, nec velit, nec poſſit, primitùs auferatur, ut rectè *Auguſtinus*.

V. Tho. 12, 2æ. qu. 112 art 30. & 22, 2æ, qu. 24. art. 11.

De prædeſt. c. 8.

Imò planiſſimè ſequitur gratiam, quoad efficacitatem ſuam minimè à voluntatis influxu eſſe ſuſpenſam, cùm reſiſtentiâ ejus nequicquam obſtante omnium quotquot convertuntur actualem converſionem, ſuperatâ lapidei cordis contumaciâ operetur, ut ipſi etiam fatentur nonnunquam adverſarii.

Collat. Hag. p. 263.

In exam. Per. p. 593. operum Arm.

Non mirum eſt igitur *Arminium* agnoſcere plenam quæſtionis hujus tractationem, aliis expediendis eſſe apprimè neceſſariam, quâ in re tentaturus erat ipſe aliquid, ſed minimè perfecit, lacunâ eam in rem in autographo ſuo relictâ, ut narrat *Bertius*, in exam. *Perkin.*

Agamus igitur, quantum in nobis eſt theſin propoſitam, tum explicatam reddere tum confirmatam, non noſtro ſive ingenio, ſive judicio (quod ſentio quàm ſit exiguum) confiſus, ſed Dei gratiæ, quæ operatur in nobis velle & perficere. Hâc fretus *tantillus* aggredior *tantam* cauſam, quali olim in arenâ hâc præfatione uſus eſt profundus ille *Bradwardinus*.

Cauſ. Dei præfat.

Pervagata apud omnes & celebris illa gratiæ diviſio eſt, in *ſufficientem* & *efficacem*.

De gr. & lib. arb. l. 1, c. 2.

Gratia *ſufficiens*, eſt, definiente *Bellarm.* quâ Deus

ità

ità hominem vocat, excitat, & juvare paratus eſt, ut poſſit velle converti, tamen actu non velit. Qualem gratiam Adamo innocenti adhuc & integro, conceſſam fuiſſe, apud omnes in confeſſo eſt: Habuit enim *poſſe* Deo ſemper adhærere *ſi vellet*, quanquã, quod ex eventu patuit, non habuit *velle quod poſsit*, obſervante *Auguſt.* de *corr. & gratia cap. undecimo.* Sed de gratia ſufficienti, nolo impræſentiarum litem movere.

In quo permaneret, ſi vellet, non quo ficeret ut vellet. Per Chriſtum adeſt nobis auxilium non ſolum poſſe quod volumus ſed velle quod poſſumus. Auguſt. de cor. et gr. cap. 11.

Gratia *efficax* quid ſit, acuratiùs paulò diſpiciendum nobis eſt. *Corvinus cont. Tilenum* hoc modo definit. *Gratia efficax*, inquit, *eſt, quæ ad aliquid efficiendum plurimùm valet.* Dilutè nimium: hoc enim non gratiæ ſolùm efficaci, ſed etiam ſufficienti, imò omni gratiæ in genere, convenit. Quis enim ullam gratiam ad aliquid efficiendum *plurimùm valere*, unquam in dubium vocaverit?

Nec eſt quod miremini, Auditores, *Corvinum* tantam rem, tam negligentèr agere, cùm ea Remonſtrant. ſententia ſit, gratiam ſufficientem & efficacem, non *naturâ*, imò nec *gradu*, ſæpe diſtingui; nam qui gratiæ ſufficienti obicem ponunt, faciunt quo minus gratia ſufficiens, quod aliter fieret, efficax ſit. In quem ſenſum *Corvinus* ipſe cont. *Molin.* expreſſè aſſerit, gratiam per quam, voluntas elevatur ad actus ſupernaturales, eſſe unam, eandémque cum eâ per quam eos actus exerit. Sed aliud eſt adjutorium gratiæ, *ſine quo* aliquid *non fit*, quod ſufficiens fortaſſe dici poterit; aliud *quo* aliquid *fit*, quod efficax nominatur. Quæ diſtinctio *Auguſtini* eſt, & memoriâ diligentèr tenenda, nè Remonſtrantes nobis fucum faciant, dùm ſe omnia, in

Cap. 37. §. 7.

De cor. et gr. cap 12.

conversionis negotio, gratiæ Dei in solidum adscribere, more solenni profiteantur.

c. 37. §. 1. Rectiùs idem ille *Corvinus* cont. *Molin. Gratia efficax*, inquit, *est quæ semper habet conjunctam efficientiam, & semper efficit quod potest*; Quod si verum sit, doceri vellem, quomodo gratia efficax à sufficienti essentialitèr distinguatur, aut quo pacto per voluntatis contumaciam sæpissimè reddatur irrita & inefficax, cùm tamen semper habeat sibi conjunctam efficientiam. Pleniùs aliquanto, sed Jesuitarum more versutè *Bellarminus*, loco suprà citato: Gratia efficax, inquit est, quâ Deus ità hominem vocat, excitat, & juvare paratus est, ut infallibitèr re ipsâ velit ille qui sic vocatur, & excitatur converti.

Si homo ad eam confugere velit. Arm. in exam. Perkin. p. 547. vide Aug. cont. epist. Pelag. l. 2. c. 7. et 8.

Sed, I. Quid sibi vult illud toties à *Bellarmino*, nec non *Arminio*, decantatum *juvare paratus est?* Sentiunt scilicet Deum, per gratiam suam prævenientem hominem vocare & excitare; et si gratiæ huic se subjiciat & morigerum præstet, Deum paratum esse gratiam adjuvantem superaddere, quâ homo sic vocatus & excitatus, reipsâ velit converti: Quasi dicerent, si homo per gratiam prævenientem, aut sufficientem *velit converti*, Deus paratus est eum adjuvare *ut velit converti*; ut scilicet quod jam priùs fecerit, faciat. Quod quid aliud est quam gratiam adjuvantem omnino superfluam reddere, & minimè ad benè volendum necessariam; cùm Deus paratus sit eam concedere, si homo priùs à parte suâ velit cum Deo cooperari: ità divinæ voluntati, voluntas humana præfertur, ut ideò quis adjuvetur, quia voluit, non ideò quia adjuvatur, velit, quod *Prosper* ut impium, & *Pelagianum* rejicit.

Advertat Deus hanc amentiam ut in donis ejus nos priores faciamus. &c. Aug. cont. epist. Pelag. l. 2. cap. 9. vide Aug. epist. 107. cont. epist. Pelag. l. 1. c. 18. lib. 4. cap. 6. lib. 3. Hypog. Epist. ad Aug.

II. Immensùm sanè inter se differunt Deum ita hominem

hominem vocare & excitare, ut infallibiter reipsâ *velit* converti, & Deum ipsum convertendi *actum*, seu *voluntatem*, per gratiæ suæ efficaciam in nobis *operari*. Diabolus enim, ità hominem vocare, excitare, & tentare potest, ut Deus certò prævideat hominem re ipsâ consensurum, nùm igitur Diabolum, ex suppositione quod eventum præviderit, nedum Deum, humanæ prævaricationis causam, eámque efficacem, censebimus? Quid quod secundúm hanc sententiam gratia efficax non *effectivè*, aut efficaciter operari existimanda esset, sed tantum *eventualiter* assequi, & certò semper sortiri peccatoris conversionem: Quod nihil aliud est quàm gratiam efficacem, quoad nomen admittere, quoad rem ipsam, & virtutem intrinsecam tollere, ut rectius ipse alibi sententiam fert *Bellarminus*. De gr. & lib. arb. cap. 12.

Gratia autem *efficax* nobis est, quæ, ut verbis utar sancti *Augustini*, *Intus in ipsis hominum cordibus operatur*; *non ut homines nolentes credant*, (quod Remonstrantium coccysmus est) *sed ut volentes*, *ex nolentibus fiant*; vel ut idem pater alibi asserit, *quæ effectrix est bonæ voluntatis*, aut quâ fit credens. Ut brevi absolvam; Gratia efficax omnium optimè à *Paulo* Apostolo genuino gratiæ filio describitur, ad Phil. 2. 13. quæ non tantùm *antegreditur*, aut quovismodo *assequitur*, sed quæ reverà *operatur* ἐνεργεῖ non modò *posse velle*, sed τὸ θέλειν, *ipsum velle*, ídque non secundùm *nostrum*, sed *Dei beneplacitum*. Lib. 1. cont. epist. Pelag c. 19. l. 4. c. 9. Ad simplician. l. 1. quæst. 2.

Cúm autem ab omnibus, saltem verbo tenus, concedatur, gratiam Dei omne in nobis bonum, aliquo saltem modo operari, ejúsque causam esse; lubrica sanè quæstio est *de modo quo gratia veri nominis efficax* conversionem peccatoris reâpse attingat: An tantùm

per modum *suasionis*, argumenta ad persuadendum idonea proponendo, quæ operatio *moralis*, & motio metaphorica appellari solet; an ulteriùs, per modum *physicæ* seu *effectivæ operationis*, voluntatem *determinando*; hoc est, verè, realiter, & potenter *efficiendo*, ipsam actualem conversionem voluntatis in Deum, idque per modum causæ, non modò principalis, aut coordinatæ, sed *totalis*, & præoperantis, prioritate nimirum, non temporis, sed naturæ, & causalitatis?

Physica prædeterminatio, & auxilium efficax independenter a cooperatione voluntatis, idem sunt. Alvarez disp. 23. num. 21. Vide Scripta Synod. in art. 4. p. 179.

Quam in rem, operæ pretium erit, 1. *Pelagium* ipsum in suprà laudatum Apostoli ad Philipens. locum, ità commentantem audire, apud *August.* de gratia Christi, cap. 10.

Pelagius gratiam non in sola intellectûs illuminatione collocavit, quod asserit Corvin. cont Mol. c. 42. *sed etiam in stupentis voluntatis excitatione*

Operatur, inquit, *Deus in nobis velle quod bonum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, futuræ gloriæ pollicitatione accendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem* (En gratiam aliquo sensu excitantem) *& suadet omne quod bonum est,* (en gratiam aliquo modo adjuvantem) In quam glossam ità insurgit *Augustinus*; *Quid manifestius*, inquit, *nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem, & doctrinam, sed nos eam gratiam nolimus, istam fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo, non solùm promittitur, verùm etiam, creditur, & speratur, nec solùm revelatur sapientia, sed amatur, nec suadetur solùm omne quod bonum est, sed persuadetur. Hanc debet* Pelagius *gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, sed esse Christianus.* Hactenus *Augustinus.* Ex quibus verbis duo colligimus:

Primò, *Pelagium* etiam ipsum in ea fuisse sententia, Deum operari in nobis velle quod bonum est. Sed quomodo? Docendo, promittendo, excitando, deniq;

sua-

ſuadendo, modo nimirum *morali*, proponendo argumenta, perſuadendæ voluntati congrua & accommoda. *Corvinus* igitur *Bertius*, aliíque qui quæſtionem hanc de modo quo gratia efficax converſionem operatur, an ſcilicet hoc præſtet tantum *moraliter* ſuadendo, aut potiùs *phyſicè*, ſeu hyperphyſicè, hoc eſt, potenter operando, ut curioſam nimis, & perplexam, humanæ inventionis tricam, in medio relinquunt, & ſúsque déque habent, haud ſe ſatis à *Pelagii* fermento expurgare, meritò videantur. Imò modum agendi tantùm *moralem*, cùm voluntatis indifferentia, ſeu libertate conſiſtere, pluribus in locis, haud obſcurè inſinuat *Arminius*, & quanquam *Corvinus* ſuſpenſo pede progrediatur, diſertè tamen aſſerit *phyſicum* agendi modum, ſi gratiæ tribuatur, tollere libertatem, quia ità ageret, ut voluntas non poſſet ullo modo obſiſtere, & per conſequens neceſſitaretur ad agendum. Remonſt. autem, de libertate voluntatis actum omnino pronunciant, niſi poſitâ qualicunque gratiæ efficaciâ, ſuam ſemper retineat ad agendum indifferentiam penitus indeterminatam.

Cont. Molin. c. 43. §. 7. In exam. Perk. p. 541.

In exam Perk. p. 547. 594, 595. In reſp. ad art. 8. Cont. Mol. c. 32. §. 21.

Secundò, Colligo S. *Auguſtinum* gratiam eo tantùm modo, hoc eſt, *ſuaſivo* operantem, ut verè, propriè, & perfectè Chriſtianam non agnoſcere. *Pelagium* igitur admonet, ut eam tandem gratiam confiteretur, quâ non ſolùm docetur veritas, aut ametur, ſed amatur; quâ non ſolùm ſuadetur hominis voluntas, ſed perſuadetur; ità ut ſuaſioni actu conſentiat, & in ea ſuaviter aquieſcat. Quam in rem illud Joan. 6. 45. adducit; *Omnis qui audivit & didicit à patre, VENIT ad me.* Non dicit, *poteſt* venire ad me. Iſto divino docendi modo, etiam *ipſa voluntas*, & ipſa *volendi operatio*, non ſola volendi naturalis poſſibilitas, ſeu potentia adjuvatur. Hæc *Auguſtinus*

Gratiam igitur illam, quæ ſolùm naturalem poſſibilitatem hominis adjuvat, ita ut velle, & agere valeamus, non autem ut actu velimus, & agamus, in nobis operatur, *Pelagius* etiam ipſe agnovit. Audiamus ipſum, apud *Auguſt.* de gr. Chriſti, cap. 4. *Quod poſſumus omne bonum, Dei* (inquit *Pelagius*) *eſt, qui hoc poſſe donavit, hoc poſſe adjuvat.* En gratiam aliquo ſenſu, tum prævientem, tum adjuvantem. *Quòd verò bene agimus,* inquit, *noſtrum eſt, qui hæc omnia vertere in malum poſſumus.* En gratiam reſiſtibilem, & à voluntatis influxu ſuſpenſam. Idem *Pelagius* alibi diſertè aſſerit, " In omni " opere bono hominem ſemper adjuvari à gratia, non " autem invitum cogi. Rurſus, " Uniuscujuſque " bonum propoſitum â gratia adjuvari, ſed reluctanti " ſtudium virtutis non immitti. Cantilena hæc nova antiqua eſt ut perſentiſcitis Auditores. Non eſt igitur, quod ad gratiæ vocantis, prævenientis, excitantis, adjuvantis, nomina obſtupeſcamus. Senſus inſpiciendus eſt, & ſecundùm propria uſurpantium principia, dijudicandus, nè inani verborum ſtrepitu, à re ipſa, à cauſa, à veritate abducamur.

Apud Aug. l. 1. cont epiſt. Pelag. l. 2. c. 5. et l. 4. c. 5.

Vide Aug. de gr. c. 3. et 6. *Ubi Pelagius gratiæ adjutorium agnoſcit, ſed ſuaſivum.*

Videamus igitur, ſecundo loco, quæ ſit *Jeſuitarum* & *Remonſtrantium* doctrina, & quantum inter ſe, vel à *Pelagii* opinione diſcedant. Quod Jeſuitas attinet, eorum alii craſſiùs & apertiùs, alii ſubtiliùs & obſcuriùs ſententiam ſuam exprimunt. Miſſis igitur *Molina, Beſano, Leſsio,* &c. qui gratiæ efficaciam in liberam voluntatis cooperationem apertè reſolvunt. Quam ob cauſam, etiam apud ſuos, tanquam Pelagianizantes audiunt. *Bellarmini,* qui medi ſe viâ incedere profitetur, mens quæ ſit, attendamus. Is oſtendens quomodo nec gratia excitans, nec etiam adjuvans, ullam impo-

Fonſeca Meta. l. 6. c. 2. quæſt. 5.

De gr. et l. arb. lib. 6. c. 15.

nat

nat homini neceſſitatem; reſpondit illud exinde provenire, quod gratia quantumvis *efficax*, nihil aliud ſit quàm *ſuaſio*, quæ non determinat voluntatem, ſed inclinat ſolùm, per modum proponentis objectum. Si verò, gratia nihil aliud ſit quàm *ſuaſio*, voluntatem neutiquam determinans, meritò quæritur, unde eveniat quod efficaciter agat, hoc eſt, effectum ſuum, hominis nimirum converſionem certò ſemper aſſequatur.

Huic difficultati (cui Remonſtrantes reſpondere ſolent, effectum certò ſemper aſſequi, quia Deus illud prævíderit) reſpondet *Bellarm.* Non rejicitur, inquit, unquam à voluntate hujuſmodi gratia efficax, ſed ejus aſſenſum certò ſemper attingit, ídque à Deo infallibiliter præſcitur, eò quòd Deus ſic ſuádeat, ut videt aptum eſſe homini illi ut perſuadeatur. Quaſi idem eſſent homini certò perſuadere, & argumenta ad perſuadendum apta eidem proponere; aut Deum hominem per gratiæ ſuæ efficaciam convertere, & prævidere eundem ex naturali voluntatis indole, gratiæ ſufficientis auxilio præparatâ, argumentis converſionem ſuadentibus aſſenſurum. Quæ plurimùm ſanè inter ſe diſtant. *Bellarmini* autem ſententia quæ ſit, intelligitis Auditores. Non aliam gratiæ efficaciam agnoſcit, quàm *ſuaſoriam*, licèt à Deo ſapientiſſimo *congruè* adhibitam & naturali voluntatis diſpoſitioni, ità convenienter applicatam, ut indè certò prævideat, (non efficiat tamen, niſi ſuadendo ſolùm) hominis converſionem.

Script. Synod. in artic. 4. pag. 21.

Vide Aquin. quæſt. de mal. art. 3.

Arminius à *Bellarmini* ſententia vix latum, quod aiunt, unguem diſcedere videtur; quem in *Arminii* ſcriptis utramq; paginam facere, aſſerit vir in controverſiis hiſce exercitatiſſimus *Taiſius*. Nec multùm ſanè à ve-

In præfat. vind.

ro

ro aberrat. Audiamus ipſum Arminium in exam. Perkin. aſſerit fidem hominibus ingenerari, non *potenti* Dei *actione*, ſed *leni ſuaſione*, & accommodatâ ad hominis libertatem: Totalem exinde cauſam, cur ille credat, iſte non, eſſe *Dei* & *hominis* voluntatem. Nec aliter *Molina* & *Becanus*, hac in re loquuntur. Nec ipſe olim aliter ſententiam duxit *Pelagius*, apud Auguſt. de gratia Chriſti, cap. 60. In opere bono laus hominis eſt, imò inquit Pelagius, hominis, & Dei, non ipſum *opus* (niſi ſuadendo) ſed ejus *poſſibilitatem*, tantummodo adjuvantis. Idem *Arminius*, in reſponſione adhibita promiſſo Domini apud Ezechielem, à Perkinſio adducto. *Ponam in iis ſpiritum meum, qui faciat ut ambulent*, &c. Reſpondet ex propria planè ſententia (quicquid contrà regerat *Corvinus*) Spiritum ità agere in libero arbitrio, prout aptum & congruum novit, ut certò & infallibiliter moveatur. Idem inquit de tractu Patris apud Joan. cap. 6. intelligi velim. Quid clarius? ex propria loquitur ſententia. Similiter reſpondet *Auguſtini* locis, pro gratiæ efficacia allegatis à *Perkinſio*. Quæ omnia totidem verbis apud *Bellarminum* extant, de grat. & lib. arb. l. 6. cap. 14. in reſponſionibus ad eadem Auguſtini loca. Quinetiam l. 4. cap. 12. & 16. Magiſtrum ſuum ſedulò imitantur collat. Hagienſes. *Nihil eſſet abſurdi*, inquiunt, *ſi Dei gratia dicatur efficax, quia illa pro infinita Dei ſcientia circa illud tempus ejuſmodi hominibus tali ſtatu, adminiſtratur. Corvinus* aſſerit eos qui ſtatuunt Deum non tantum operari cum voluntate *concomitanter*, ſed per eam *antecedenter*, eámq; flectere motione *efficaci*, ità ut volitio prius naturâ producta ſit à Deo, tanquam cauſâ primâ, quàm à voluntate, ut à cauſa ſecunda, tollere libertatem, & omnem

Pag. 595.

In exam. pag. 606.

In exam. pag. 604.

In reſp. ad argum. 4. p. 291.

Cap. 32. § 21. *Agit Deus in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit.* Aug. de grat. & lib. arb. c. 20. & 21.

nem voluntatis activitatem deſtruere. Alio loco expreſsè negat, *actum* ipſum credendi in nobis immediatè à Deo effici, ſed tantùm quoad *vires* eam in rem neceſſarias. Deum enim fidem dare, nihil aliud illi ſonat, quàm vires ad credendum ſufficientes ſubminiſtrare. Hæc Remonſtrantiſmi medullam continent. Idem *Corvinus*, cum Arminio nos docet, Deum non jungere influxum ſuum, niſi cauſa ſecunda fuerit in ipſo momento influxionis ſuæ, adeóq; non influit, niſi creaturâ prius volente influere. Et alibi, Deum ſemper paratum eſſe à parte ſua, concurrere cum voluntate ad actum credendi, nimirum, ſi voluntas à parte ſua vellet cooperari. Hæc quomodo concilianda ſint cum eorum dictis, quibus profitentur ſe omnia in converſionis opere, gratiæ Dei in ſolidum tribuere, eíq; tantum quantum, quiſquam alius, vel cogitando aſſequi poteſt, deferre, ipſi viderint. Hæc verò an *Pelagium* ſapiant, judicet *Auguſtinus*, Epiſt. ad Vitalem, ubi ſtatum controverſiæ, inter ipſum & *ſemi-pelagianos* agitatæ, brevi proponit. *Inter nos agitur*, inquit, *Utrùm gratia* (gratiam intelligit ad ipſum τὸ velle requiſitam) *præcedat, an ſubſequatur hominis voluntatem; hoc eſt*, inquit, *ut planiùs eloquar, utrùm ideo nobis detur quia volumus, an per ipſam Deus efficiat ut velimus.* Quanquam igitur ut Jeſuitæ Pelagium, ità Jeſuitas Remonſtrantes, verbis fortaſſe execrentur, ex his tamen quæ attulimus ſatìs conſtat, eos quoad rei ſummam ſatis inter ſe convenire, cùm *nullam gratiæ adjuvantis*, gratiæ inquam adjuvantis, (de ea enim, non de gratia præveniente aut ſufficiente, quam *Pelagius* ipſe tandem admiſit, quæritur) efficaciam ultra *ſuaſionem* agnoſcant, (quod Remonſtrantes in ſcriptis Synodicis diſertè aſſerunt) aut ſaltem à voluntatis

Cont. Mol. c. 43. § 9.

Cont. Mol. c. 43. § 3. *Deus non antecedenter movet, ſed hominem jam volentem dirigit conſequenter in objectum quod vult.* Grevineh. p. 361. Collat. Hag. p. 315.

Alvar. de aux. diſp. 64. & 99. n. 4.

Ad artic. 4. p. 62. & p. 141.

non modò gratiam *consequente*, quod concedimus, sed *concomitante*, imò præoperante, & *antecedente*, ut vidimus, influxu dependentem.

Qui plura hanc in rem desiderat, legat Alvarez de aux. l. 1. necnon Abbotium in defensione Perkinsii cont. Episcopium controversia de libero arbitrio, præcipuè S. Augustinum de gratia Christi, & cont. epistolas Pelagianorum.

Sed missis hisce partium nominibus, quibus haud plurimùm, aliquid tamen tribuendum esse sentio, quæstio per se spectata huc redit. An gratia Dei, quantumvis efficax, nihil aliud sit quàm *suasio*, quod contendit *Bellarm.* vel ut *Arminius, lenis suasio*, quæ voluntatem neutiquam determinet, faciendo scilicet prius naturâ in ea ut faciat, sed tantùm inclinet, per modum proponentis objectum, & argumenta ad persuadendum idonea, propter quæ *congruè* applicata, Deus certò præviderit hominem persuasum iri, & liberè se conversurum: an præter & ultra suasionem licèt congruè adhibitam, Deus in actuali conversione peccatoris eam gratiæ *virtutem* exerat, quâ voluntatem ipsam immediatè immutet ac moveat, ejúsq; consensum non tantùm prævideat, aut *persuadendo eliciat*, sed in & cum ea *potenter efficiat*, nativam voluntatis corruptæ resistentiam pro hîc & nunc tollat, saltem superet, adeò ut voluntas gratiam hanc omnino irritam reddere, nec velit, nec (secundùm quid) possit, sed indefectibiliter, insuperabiliter, indeclinabiliter, & hoc modo irresistibiliter, per eam convertatur. Ut igitur controversia hæc, perplexa satis & obscura, dilucidior appareat, tribus conclusionibus totam rem quàm brevissimè, & quantâ poterimus perspicuitate absolvemus. Conclusio autem

De gr. & lib. l. 6. c. 15. Exam. Perk. p. 594.

Subventum est infirmitati humanæ voluntatis, ut divina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur. Aug. de cor. & gr. c. 12.

tem quælibet erit tripartita, & ex tribus articulis composita.

Conclusio nostra prima sit hæc.

1. *Deus in conversione peccatoris ordinariè* suasione *utitur*, *non tantùm* externâ *verùm etiam* internâ, *eâque personæ convertendæ genio, seu naturali propensioni nonnunquam congrua, & aliquatenus accommodata.*

1. Deum in convertendis peccatoribus ordinariè *suasione externâ*, verbi nimirum præceptis, promissis, comminationibus uti, extra omnem controversiæ aleam positum est. *Fides* enim, (quæ *Clementi Alexandrino* προφητὴ εἰς σωτηρίαν νεύσις) *ex auditu est*, inquit Apostolus, ex auditu scilicet verbi Dei. *Quomodo enim credent in eum de quo non audiverunt?* ad Rom. 10. 14. & 17. Quid quod sacrosanctum verbi divini ministerium hunc ipsum in finem à Deo institutum sit, ut hominibus persuadeat. *Scientes terrorem Domini hominibus suademus*, 2ª. ad Cor. 4. 10. Sed in re manifesta non opus est ut pluribus immoremur. Stromatum 2.

2. Deum *externo* verbi sui *ministerio*, *internum* Spiritûs sui *magisterium*, suasioni externæ etiam *internam*, adjungere, si non semper, & inseparabiliter, saltem communiter & ordinariè, apud omnes in confesso est. Per quam in hypocritis etiam, & reprobis intellectum eorum illuminat, affectus excitat, ídq; (utì fatentur Remonstr.) irresistibiliter, imò cor movet, ipsámque insuper voluntatem flectit, & aliquatenus inclinat, adeò ut *propemodum* Christiani fiant, & penè salventur. Hanc ob causam Evangelium *Paulo* ad Rom. 1. 16. *Dei potentia est in salutem omni credenti*. Non quòd externa

Remota est à sensibus hæc schola nec agit cum carnis aure, sed cordis. Aug. de præd. c. 7. In Collat. & in Script Synodicis, in principiis circa articulum 4.

terna Evangelii litera, aut ſenſus promiſsionum, comminationúmve forinſecus inſonans per ſe, & ſolitariè
Prælect. c. 5. hoc poſſit, (quod *Socini* commentum eſt, ex craſſiſſimis *Pelagii* fæcibus hauſtum) ſed ratione cooperantis Spiritûs ſancti influxûs fidem ſalutiferam (ſine qua verbum nil prodeſt ad Heb. 4. 2.) in cordibus hominum per illud, tanquam inſtrumentum morale, ingenerantis. Hinc Evangelium alibi *miniſtratio* ſeu communicatio
2 Cor. 3. 8. *Spiritûs* dicitur, hoc eſt, per quod, aut cum quo, Deus occultè ſpiritum ſuum inſinuat, per quem intus excitentur, & adjuventur homines ad ea præſtanda quæ ab iis exteriùs in verbi miniſterio exiguntur.

3. Deum argumenta interdum convertendis peccatoribus adhibere, non tantùm in *genere congrua* (creaturam enim rationalem & liberam per argumenta, ſeu motiva, ut vocant moralia, movere congruum eſt) ſed etiam *in individuo*, eorum particulari genio ſeu inclinationi ſingulariter accommodata, facilè concedimus. Sic *Magos*, aſtrorum ſtudio aſſuetos, *aſtri*, extraordinarii licèt, manuductione ad Chriſtum adduxit *juſtitiæ Solem*. Similiter *Andream* & *Petrum* artem *piſcatoriam* exercentes, argumento congruo ſatis, ab eorum vocatione & particulari inclinatione deſumpto, poſt ſe vocavit ipſe Dominus. *Venite poſt me, & faciam vos hominum piſcatores:* Animadvertendum autem eſt, converſionis hujuſce effectum, ſeu ἀποτέλεσμα, non tam in *ſuaſionis* illius *congruitatem* reſolvendum eſſe, quàm in ſingularem *gratiæ* prævenientis, & adjuvantis *efficaciam*. Deus enim ordinariè homines convertit, non tam argumenta eorum inclinationi, aut diſpoſitioni accommodando, (quod tamen ex abundanti facere nonnunquam ſolet) quàm eorum inclinationem ex ſe naturaliter

naturaliter perversam, & bono salutari adversam, per gratiam suam renovando, & ità argumentis in verbo propositis conformando, ut iisdem liberè, & cum delectatione assentiantur.

Quam in rem Conclusio nostra secunda sit hæc.

2. *Efficacia gratiæ convertentis, non consistit in sola suasione sive externa, sive interna, quantumvis congruâ, & particulari convertendæ voluntatis inclinationi quàm maximè accommodatâ.*

1. Efficaciam gratiæ convertentis non consistere in sola suasione *externâ*, facilè probatur. Si enim gratiæ convertentis efficacia esset merè suasiva, idque *externè*, satìs esset scripturam infidelibus & improbis tantùm legere, aut prædicare, nec opus esset Deum orare, ut vocatione *internâ* sic hominis ageret sensum ut eidem accommodet assensum. Frustra orâsset *David*, Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Lex igitur orandi statuat legem credendi. Ut sæpiùs *Augustinus*. Aug. epist. ad Vitalem 107.

Externam autem scripturæ doctrinam, sive lectam, sive prædicatam, parùm apud quamplurimos valere, tristi nimis experientiâ dignoscunt, quotquot sacris concionibus operam simul & oleum insumunt, nè dicam consumunt. *Ego plantavi*, inquit Paulus Apostolus, *Apollos*, vir potens & disertus in Scripturis, *rigavit. Sed nec is qui plantat est aliquid, nec is qui rigat, sed Deus qui dat incrementum.* In quem sensum *Prosper*,

Ut tamen his studiis auditor permoveatur,
Non doctor neque discipulus sed gratia sola
Efficit--&c. De ingratis cap. 14.

Cum Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non. Sed qui credunt intus à patre audiunt, Qui non credunt foris audiunt, non intus. Aug. de Prædest. Sanct. c. 8. Act. 18. 24. 1 ad Cor. 3. v. 7. & 8.

Scri pt. Synod. ad artic. 4 p. 60.

Quid autem ſibi velint Remonſtrantes, cùm gratiam Dei internam, per quam in ipſam voluntatem, inſtillatur atque inſpiratur, (ut loquuntur) actualis conſenſus voluntatis, in id quod verbo extrinſecus proponitur, atque offertur, apertè rejiciant, ut Scripturæ & rationi contrariam; & an non in Socinianorum caſtra tranſeant, vobis conſiderandum refero, *Auditores*. Mihi ſanè omnem gratiæ divinæ in voluntatem, quatenus electionis principium eſt, hoc eſt, quatenus libera eſt, & liberè agit, influxum negare videntur, inſigni planè in Dei gratiam, omnis in nobis boni, præſertim benevolendi, operativam, ingratitudine.

Cùm verò adverſarii ſe ad ſuaſionem ſuam internam, tanquam ad aſylum recipere ſoleant: Dico ſecundò, Efficaciam gratiæ convertentis non conſiſtere in *ſola ſuaſione internâ*. Quod probatur.

1. Gratia veri nominis efficax, eſt cauſa principalis converſionis peccatoris. Sed gratia merè ſuaſiva, quæ tantum proponit (internè licèt) voluntati argumenta ad perſuadendum idonea, non eſt principalis cauſa converſionis peccatoris. Ergò talis gratia non eſt veri nominis efficax. Major opinor ab adverſariis conceditur, imò vereor, nè gravem ſibi injuriam fieri quererentur, ſi id in dubium vocaremus. Minor per ſe patet, quia apud omnes gentes non qui ſuadet, ſed qui ſuaſioni aſſentitur, & ſecundum ſuaſionem agit, cauſæ principalis titulo, jure, meritóque inſigniri ſolet. Confirmatur argumentum, quia angeli, tum boni tum mali, hominibus non tantum externè, verùm etiam internè ſuadere poſſunt, imò nonnunquam perſuadere, immutando phantaſiam, intellectum illuminando, aut ſaltem ſpeciem rei manifeſtandæ accommodatè & congruè

gruè hominis captui aut inclinationi proponendo, quemadmodum pluribus oſtendit *Aquinas*; nec tamen inde angelos actuum humanorum cauſas phyſicas & efficientes, nedum efficaces, multo minus principales, reputamus. Imò nihil abſurdius eſſet, quam aliam non eſſe efficaciam gratiæ divinæ ad benè agendum, quam tentationis diabolicæ ad malè agendum; ſequeretur enim invictè, hominem ut malorum, ſic etiam bonorum actuum cauſam eſſe principalem, quod adverſarii diffitentur. 1 part. quæſt. 111. artic. 2.

2. Gratia verè & propriè efficax, non tantum infallibiter ſortitur converſionem peccatoris, uti loquuntur Remonſtrantes, ſed eandem revera *efficit*, & *operatur*, ut effectum ſuum propriè dictum; quam ob cauſam *efficax* nominatur. Sed gratia quæ merè ſuadet licet internè (quod tamen reſpectu voluntatis ab intellectu, illuſtratæ externum eſt) quamvis nonnunquam aſſequatur, aut impetret (ut habet *Arminius*) non tamen efficit, & operatur converſionem peccatoris. Ergo gratia tantùm ſuaſiva, licèt internè, non eſt propriè efficax cum non ſit propriè efficiens. In ſcript. ſyn. circa artic. 4. Exam. Perk. p. 591.

3. Gratia efficax, ut omnes fatentur, eſt *auxilium*, hoc eſt, aliquid voluntatis corroborativum, eique novas vires intus ſubminiſtrans, tùm ut *poſsit* homo bene velle, tùm præſertim, quod gratiæ efficacis proprium munus eſt, *ut actu velit*. Sed gratia mere *ſuaſiva* hoc neutiquam præſtat. Suaſio enim quamvis interna, nullas *vires* voluntati ſubminiſtrat, aut datas adjuvat, imo potius præexiſtentes omnino ſupponit. Ergo gratia merè ſuaſiva non eſt propriè efficax, & per conſequens gratiæ convertentis efficacia in ſolâ ſuaſione, licet internâ, conſiſtere non poteſt. Aug. de gr. Chriſti, c. 2. *Præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Aug. de gr. & lib. cap. 16.

Re-

Reſpondent qui ex adverſo ſunt, aliam eſſe rationem ſuaſionis externæ, aliam internæ. Hanc enim non tantum, ut illam, proponere objectum, ſed infundere lumen, & afflare initium bonæ voluntatis, imò adjuvare voluntatem, eique *Phyſicè* cooperari ad actum converſionis eliciendum. Ita *Bellarm.* Sed veſtrum appello judicium, *Auditores*, cuiquamne perſuaſurus eſt Jeſuita, idem eſſe ſuadere, ſive externè, mediante ſenſu externo, ſive internè, mediante phantaſiâ aut intellectu, proponendo objectum, quo voluntas ſuadeatur ad volendum; & afflare initium voluntatis bonæ, infundere lumen, & cum homine, etiam phyſicè, cooperari? Non obtuſa adeo geſtamus pectora, quin facile intelligamus, ſuaſionem omnem ſive externam ſive internam, non *Phyſicè*, ſed *moraliter* agere, & aliud eſſe per modum finis *allicere*, aut objecti ſuadere, aliud per modum cauſæ efficientis *operari*, ſeu potenter & propriè *efficere*.

De gr. & lib. l. 1. c. 13.

II. Fatentur omnes intellectum à Deo illuminari, initium bonæ voluntatis afflari, non tantum moralitèr, & ſuaſoriè, etiam internè, ſed phyſicè & efficienter, imò irreſiſtibiliter in animam infundi, quod ſi idem etiam quoad ipſum converſionis actum (de quo, non autem de operibus, aut diſpoſitionibus, quibuſcunque præparatoriis, quæritur) conceſſerint, huic controverſiæ ſatisfactum erit.

Ultimo. Gratia efficax ut conceditur converſionem peccatoris certò ſemper attingit. Sed ſuaſio quamvis interna non ſemper attingit converſionem peccatoris. Ergo ſuaſio interna non eſt gratia efficax.

Corvinus ſupra.

Ratio minoris eſt, quia ſuaſio qualiſcunque aut cujuſcunque voluntatem minime determinat ad volendum; eâ igitur poſitâ, cùm voluntas adhuc maneat indifferens,

rens, convertendi actus poteſt æque non eſſe, ac eſſe, & per conſequens quoad eventum incertus eſt.

Sed reſpondebitur; Suaſionem *internam* converſionem voluntatis efficere, ſeu potiùs certò ſemper attingere, non nudè & ſimpliciter in quantum ſuaſio, ſed ut *congrua*, & naturali voluntatis inclinationi accommodata, quam Deus effectum ſuum habituram prævideat; non *neceſſariò*, ità ut fruſtrari non poſſit, ſed *certò*, ità ut nunquam fruſtretur.

Dico igitur tertio, Gratiæ convertentis efficaciam non conſiſtere in ſola ſuaſione, ſive externâ, ſive internâ, quantumvis *congruâ*, & particulari convertendæ voluntatis inclinationi quàm maximè accommodatâ.

Suaſio hæc congrua Jeſuitarum, nec non quanquam diſſimulent, Remonſtrantium Helena eſt, quæ, ut rectè obſervat *Alvarez*, in ſe tria complectitur. Primò, *Entitatem* motionis divinæ voluntatem, per modum ſuadentis, inclinantem & allicientem, ut Deo vocanti & excitanti conſentiat. Secundò, Modum ſeu *congruitatem* motionis illius, cùm hujus hominis voluntate ſic diſpoſitâ, & in talibus circumſtantiis collocatâ. Tertiò, Dei *præſcientiam mediam*, quæ antecedenter ad decretum ſeu voluntatem efficacem convertendi hunc hominem, certò præſcit, motionem illam ità congruere voluntati hujuſce hominis in particulari, ut ſi per illam hoc loco, tempore, &c. præmoveretur, eſſet infallibiliter conſenſurus. Notandum autem eſt, Dei præſcientiam, qualem qualẽ, & totam illam circumſtantiarũ complexionem nec non particularem voluntatis inclinationẽ, eſſe internæ gratiæ efficacis naturæ, ac proinde ejus efficaciæ, omnino extrinſecam & adventitiam; imò Dei præſcientiam, ut rectè notat *Becanus*, hominis converſionem, ut

Vide Script. Synod. circa artic. 4. p. 123. in reſp. ad Ezech. 3. 6, 7. De aux. lib. 9. diſp. 83.

Part. 2. theol. c. 30.

objectum ſuum, neceſſariò præſupponere, & per conſequens, nullo modo efficere. Gratia igitur hæc, ſeu motio congrua, nihil aliud in ſe eſt, quàm ut loquitur *Bellarminus*, Suaſio, quanquam à Deo congruè adhibita, reíque eventum certò præſciente.

Gratiæ autem convertentis, ut convertentis efficaciam in vocatione hac congrua minimè conſiſtere probatur.

Primò, Si gratia ſit efficax, hoc eſt, hominis converſionem certò ſemper attingat, (hoc enim ſenſu gratia adverſariis efficax eſt) eò quòd ſit congrua, hoc eſt, naturali voluntatis inclinationi accommodata, tum *Dei gratia*, ſuam reciperet efficaciam à *natura*. Sed gratia efficax non recipit ſuam efficaciam à natura; Ergò gratia non eſt efficax, quia congrua.

Majoris conſequentia clara eſt, hæc enim inclinatio, ſeu propenſio, ratione cujus gratia hæc, huic homini congrua eſt, ac proinde efficax evadit, alteri non item, omnino provenit ex *naturali indole voluntatis* ſeu præexiſtente naturæ probitate, aut *perſuaſibilitate*, ut habet *Socinus*. Prælect. de lib. arb.

Minor ſcilicet gratiam efficacem non recipere ſuam efficaciam ab hominis natura, probatur, quia aliàs directè ſequeretur contra Apoſtolum, hominem converſum ſeipſum à non converſo *diſcernere*, utpote qui naturali indole eam gratiam quoad ſe reddiderit efficacem; quam alter eâdem gratiâ dignatus, irritam fecerit, & protinus inefficacem. Cui ſanè exinde non in *Domino*, hoc eſt, Chriſto *Redemptore*, ejúsque ipſum velle converti operante gratia, ſed in *homine*, hoc eſt, ſeipſo, Deóq; *Creatore*, aut conſervatore, quod nec *Pelagius* facere detrectâſſet, licite *gloriandum* eſſet. 1 Cor. 4. 7. 1 Cor. 1. 31.

Ratio

Ratio eſt, Quia converſus hic, non magis à Deo recepit actualem *convertendi* voluntatem quàm non converſus, qui gratiam eandem prævenientem ſortitus eſt. Quidni igitur de *diſcretione* ſua à non converſo ex proprio arbitrio orta, tanquam à Deo minimè per gratiam receptâ, jure glorietur? Quod enim *potuit* Dei miſerentis erat; quòd autem *voluit* convertere, cùm potuiſſet æquè ac alter nolle, hoc propriæ omnino voluntatis.

Reſpondet *Bellarminus* novo artis Jeſuiticæ figmento, eandem *motionem* utrique communem eſſe, non eandem *gratiam*, eò quòd, majoris gratiæ ſit hominem eo modo, loco, tempore, &c. vocare, quo Deus prævidit optimè congruere ingenio ejus, ut actu conſentiat, quàm eo modo, loco, tempore, &c. quo præſcit eundem minimè obſecuturum. De grat. & lib. arb. l. 1. c. 13.

Converſionem igitur gratiæ adſcribendam eſſe, quia Deus uni dedit inſpirationem, quam prævidet à converſo amplectendam, alteri dedit eandem, ſed quam prævidet à non converſo per liberum arbitrium rejiciendam

Sed 1. Quæſtio non agitur de gratia *gratis dante*, ſeu favore Dei interno, ſed de gratia *gratis data*, quæ converſionem intus in homine operatur. Hanc verò utrique eandem eſſe minimè diffitetur.

2. Hinc ſequitur Deum media converſioni neceſſaria adminiſtrare ſecundùm *abſolutum* conſilii ſui beneplacitum, quod adverſarii Remonſtrantes inprimis, minimè ferunt. Quòd enim Deus huic homini præparaverit vocationem congruam, & non alteri, cui æquè potuiſſet, ſi voluiſſet, quemadmodum ex *Tyriorum* & *Zidoniorum* exemplis conſtat, id omne divinæ ſolummodo voluntatis eſt, agnoſcente etiam *Suarezio*. De aux. l. 3. c. 15.

3. Quæro, unde ſit quòd Deus prævideat eandem gratiam, ſive motionem, eundem hominem certiſsimè converſuram, ſi hoc modo, loco, tempore, &c. adminiſtretur, non item alio? Illud enim neceſſariò provenit vel ex proprio hominis ingenio, ſeu *naturali* indolis *propenſione*, quod argumento concluditur; vel ex *efficacia gratiæ congruæ*, ut congruæ, quod in idem recidit: præciſâ enim præſenti voluntatis in hoc homine propenſione, hæc eadem gratia alio tempore adhibita non eſſet congrua, aut efficax, nec converſionem ejuſdem numero hominis attingeret. Vel ab *utraque* proveniente efficacia, ſed à gratia principaliter, & voluntate minùs principaliter concurrente. Quod ſi ſtatuatur, quæro de illo voluntatis concurſu quali quali, aut quantillo (ſine quo tamen gratia efficax eſſe neutiquam poterit) éſtne à *gratia* Dei revera eundem *efficiente*? aut à *natura* per ſe *eliciente*? Si priùs, facilè convenimus, nec enim voluntatem à gratia priùs actam, agere actione nimirum à gratia effectivè dependente, eámque natura ſive cauſalitate conſequente, ullo modo dubitamus. Si verò à natura per ſe aliquo ſenſu gratiæ convertentis effectum promovente, & efficacem reddente, hominis converſio non in Dei *gratiam*, ut ſuprà dictum eſt; ſed in *naturam*, ſeu liberum arbitrium, tanquam in principium maximè *diſcretivum*, & ultimo diſcriminativum, neceſſariò reſolvenda eſt; cùm gratia præveniens utrique communis, & in ſe ſine circumſtantiis conſiderata, eadem fuerit. Quod verò ultimo in loco aſſerat *Bellarminus* rationem diverſitatis iſtius in gratiam Dei, tanquam cauſam primam referendam eſſe, eò quòd Deus uni dederit inſpirationem quam prævidit ab illo per liberum arbitrium amplectendam, non item alteri; haud ſatis eſt, niſi in-

ſuper

ſuper conceſſerit liberum arbitrium eandem inſpirationem non niſi per gratiæ divinæ efficaciam amplecti, nec nec idem aliter à Deo prævideri potuiſſe, qua in re totius controverſiæ cardo verſatur.

Remonſtrantes quæſtioni huic, cur hic convertatur, alter non item, cùm eandem habeant gratiam prævenientem & excitantem, reſpondent, Quia hic opponit novam contumaciam, quam alius non opponit. Sed quæro cur hic opponat novam contumaciam, alter non: Reſpondent, hic opponit novam contumaciam, quia opponere *vult*; ille non opponit, quia à gratia movetur, nè opponere *velit*. Sed regero. Ille qui vult opponere novam contumaciam movebatur ab eadem gratia, etiam eodem modo adhibita (niſi vocationem congruam cum Jeſuitis admiſerint) quâ alter, nè *velit opponere*, oppoſuit tamen. Ergò ratio quare ille qui convertitur non oppoſuerit novam contumaciam, non eſt, quaſi hoc factum fuerit vi gratiæ; alter enim qui oppoſuit novam contumaciam eandem gratiam expertus eſt, ſed ſimpliciter quia *voluit*, ex mero libero arbitrio non opponere contumaciam, hoc eſt, quia voluit gratiæ morem gerere. Ratio igitur converſionis hujuſce hominis, non in Dei gratiam, ſed voluntatis libertatem reſolvenda eſt; quæ *voluit* gratiæ excitanti obedire, aut non reſiſtere. Script Synod. circa artic. 4.

Reſpondent itáque iidem Remonſtrantes loco ſupra memorato, gratiam antecedentem aut *prævenientem* utrique æqualem eſſe, ſed cooperantem ſeu *adjuvantem* habet prior, qui contumaciam non opponit, ſed non poſterior. Sed faciunt næ reſpondendo ut nihil reſpondeant, cum in eorum ſententia, Deus gratiam ſubſequentem, aut cooperantem, ſine quâ præveniens certò ineffica̅x futura ſit, nemini largi-

Vide *Bellarm.* de grat. & lib. arb. l. 6. c 15, p. 805. & Aug. de grat. Christ. c. 23

atur nisi quis cum eo cooperari velit, vel obicem novæ contumaciæ non opponat, hoc est, Deus operatur in homine velle converti, si prius ipse per gratiam prævenientem seu sufficientem velit converti, quod ineptum est, & adjuvantem, seu subsequentem gratiam, reddit omnino supervacaneam.

Collat Aug. p. 314, 315.

Cum non sit quod ultra respondeant, contestantur se omnia bona opera, quæ quis cogitando assequi potest, planè & plenè Dei gratiæ accepta referre, quandoquidem sine Christo nihil possumus.

Nulla bona facit homo quæ non facit Deus ut faciat homo. Aug. in epist. Pelag. l. 2. c. 8.

Sed ipsi illi Remonstrantes eodem penè spiritu quo hæc largiuntur expressè negant, actum ipsum credendi Deum in nobis operari, ne quidem ut actum vitalem & naturalem, non modò contra sanam Philosophiam, sed etiam directè contra Apostolum asserentem, *Deus est qui operatur in vobis velle.* Et, *vobis datum est non solùm credere,* &c. Quasi actus ipse credendi non esset bonum opus, aut minus quàm ipsa credendi potentia supernaturalis: Quod verò imaginantur hominem hoc modo motu proprio destitutum, in tubam aut fistulam converti, quæ per se sonum non edat, Deum verò omnia in nobis agere, nobis nihil agentibus, error haud levis est. Deus enim operatur in *nobis*, non in *seipso*, velle, velle autem agere est; & secundum promissum, facit ut *nos* ejus statuta faciamus, non ut *ipse* faciat, aut ut *nos nihil* faciamus. Certum est *nos velle*, quod volumus, sed *Deus facit nos velle*, *nos facere* cum facimus, sed *ille facit*, *ut faciamus*, præbendo vires efficacissimas voluntati, ut rectè *August.* Adde his, Deum patrem incarnationis Christi causam efficientem fuisse, ut omnes theologi fatentur, nec tamen ipse inde, sed *filius* tantum incarnatus est, facit nos loco movere, ambulare, gramen

Ibidem.

De gr. et l. arb. c. 16.

Estius l. 3. sent. dist. 26. §. 11.

cre-

creſcere, ignem urere, nec tamen ipſe ambulat, creſcit, aut urit; ratio eſt, quia producit hæc omnia, non in ſe ipſo, ſed in aliis. Idem de voluntatis humanæ actibus judicandum eſt.

2. Aliud eſt nos *cum* gratiâ, hoc eſt, ſufficiente, aut non ſine gratiâ agere, aliud *per* eam, ejuſque vim, quicquid agimus actu agere. Similiter, aliud eſt Deum per gratiam facere ut *velimus*, aliud facere in nobis ipſum *velle*.

Remonſtrantes igitur cùm profiteantur omnia bona opera, & ipſum gratiæ bonum uſum, de quo potiſsimum quæritur, a gratia pendere, nihil aliud revera ſentiunt, quam hominem ſine gratia præveniente ſeu ſufficiente, cujus mentionem ſuprà faciunt, nihil poſſe, aut actualiter agere, quia quicquid agit, non ageret niſi cum gratia præveniente continuata, ſine quâ nihil omnino poſſit agere. In quam ſanè ſententiam libentius concedo, cùm videam Remonſtrantes diſertè profitentes ſe, ſuppoſitâ credendi potentiâ per gratiam prævenientem irriſiſtibiliter collatâ, nullam aliam ad actum fidei eliciendum gratiam neceſſariam ducere, quam ſuaſivam; unde ſequitur, ipſum credendi actum neutiquam per gratiam Dei in nobis immediatè *effici*, (ut ſuprà nos docuit *Corvinus*) ſed tantum, cum Pelagio, *ſuaderi*; ut quod per gratiam prævenientem *poſſumus*, per naturam *cum* gratia illa ſufficienti, non autem *per* illam, *agamus*.

Script. Synod circa artic. 4. p. 62. et 141. Collat Hag. p. 307.

Ex nobis ipſis in nobis efficiẽ voluntatem bonam, docuit Pelagius apud Auguſt. De gr. Chriſti c. 10.

Quod ſi dixerint, gratiam ſufficientem ipſum credendi actum in nobis operari, 1. diſtinctionem gratiæ ſufficientis & efficacis omnino tollunt. 2. quæſtio præpoſita fortiùs recurrit. Quærimus enim cur eadem ſufficiens gratia, cùm cauſa etiam neceſſaria ſit, non efficiat converſionem in uno homine, æque ac in alio.

Si

Si reſpondeant, quia unus contumaciam opponit, non item alter. Repono, Ipſi concedunt gratiam efficacem tollere in homine converſo nativam voluntatis corruptæ contumaciam, imo in omnibus actu converſis. Hujus ergo hominis non converſi contumacia, non eſt vera ratio cur non convertatur æque ac alius, cùm enim gratia tollat reſiſtentiam in uno, cur non tolleret ſimiliter in alio?

Collat. Hag. p. 263.

Secundum argumentum ſit hoc. Eccleſia recte orat pro gratia pervicaciſſimos fidei hoſtes convertente, Ergo gratiæ convertentis efficacia non conſiſtit in *congruitate* vocationis. Ratio eſt, eo quod in talibus, ne minima, ſi abſolutè loquamur, *convertendi inclinatio*, unde gratia mere ſuaſiva quaſi anſam arripiat, præſupponi poſſit. Oratur ergo, ut Deus ipſam bonam convertendi voluntatem per gratiæ ſuæ efficaciam in ſolidum efficiat. Totum autem hoc prorſus inaniter fieret, niſi rectiſſimè crederemus Deum omnipotentem, etiam perverſas, & fidei contrarias hominum voluntates ad credendum poſſe convertere, ut recte *Auguſt.* Imò non modo hoc poſſe, verùm etiam per gratiam ordinariè collatam idem effectum reddere ſæpiſſimè ſolere, cùm eam ſolum in precibus ordinariis efflagitare ſoleat, aut legitimè poſſit, eccleſia.

Audiant non diſputationes noſtras, ſed orationes quas ſemper habuit Eccleſia. Aug. de perſev. c. 23. & cont epiſt. Pelag. l. 1. cap. 19.

De grat. et lib. arb. c. 14.

3. Poſitâ gratiâ efficaci, utpote ex decreto prædeſtinationis adminiſtratâ, converſio hominis non tantum infallibiliter, tanquam ex decreto commmunis providentiæ futura eſt, ſed *indefectibiliter*, ita ut impoſſibile ſit eam non fieri. Ità *Arminius*.

Exam. Perk. lib. . §. 16. apud Tuiſſ. p. 228, 229.

Sed ſi gratiæ convertentis efficacia conſiſteret in congruitate vocationis ſuaſoriæ, neutiquam repugnaret ut eidem voluntas humana ſemper reſiſteret, & per con-

conſequens ut nunquam converteretur, non obſtante abſoluto Dei decreto. Ratio eſt, quia fatente *Suarezio*, tota illa *congruitas* vocationis ex ſe ſolùm inducit *moralem certitudinem*, à voluntatis placito omnino dependentem. Si dixerint, hanc vocationem congruam includere Dei præſcientiam, quâ certò prævidet hominem converſurum. *Reſp.* hoc nihil ad gratiæ efficaciam de qua agimus pertinere, cùm Dei præſcientia nullo modo *cauſet* cum gratia ut homo convertatur, ſed ſupponat ut objectum ſuum, hominem priùs naturæ ordine converſum. Manet igitur adhuc quæſtio, cujus rei efficaciâ perfecta ſit hominis præſcita converſio, aut quid, ſic loqui liceat, cauſet Deum prævidere hujus converſionem, non item illius. Deinde ſupponamus voluntatem ex propria tantùm libertate, ſine gratia, ſe convertiſſe: Deus præſcientiâ ſuâ effectum hunc non minus certò, & infallibiliter præviſurus eſt, quàm ſi fiat per vocationem congruam, aut gratiæ efficaciam. Dei igitur præſcientia nihil ad *modum*, quo res futura fiat, pertinet, ſed ad *eventum* ſolum, quòd certò futura ſit. Quid quòd, Deus etiam infallibiliter prævideat peccata, neq; tamen indè ullo modo ea cauſare cenſendus eſt. De aux. l. 3. c. 14.

Concluſio tertia & ultima ſit hæc.

3. *Efficacia gratiæ convertentis conſiſtit in potente Dei actione, eâque invictâ, & indefectibili, ſeu aliquo modo irreſiſtibili.*

1. Dico, efficacia gratiæ convertentis conſiſtit non in ſuaſione, quantumvis congruâ, ſed in potente Dei

actione. Dico in *potente* Dei actione, potiùs quàm *omnipotente*, (quanquam omnis actus potentiæ divinæ, seu infinitæ, necessariò sit actus omnipotens) cùm eam non aliter intelligere volunt adversarii, quàm quasi Deus hominis in conversione voluntatem, violentâ vi adigeret, & quasi contorqueret in assensum, homine nullo modo cooperante, quod eorum πρῶτον ψεῦδος est. Intellectus enim à gratia illuminante, aut præveniente irresistibiliter motus, ut ipsi etiam fatentur, assentitur nihilominus veritati clarè oblatæ non Deus, aut gratia Dei, homine nullo modo cooperante. Nos interim ejusmodi actionem Dei, & non aliam asserimus, quàm cui aliquantisper resistere possumus, imò solemus, & qualem ipsi etiam in genere agnoscunt, dum cum *Arminio* physicum, effectivum, &, saltem quoad actus, immediatum Dei ad omnes creaturarum actiones concursum, admittere videantur. Ut brevi absolvam; per potentem Dei actionem, hoc volumus, gratiam Dei non tantùm *suaviter*, hoc est, per suasiones & argumenta ab ultimo intellectus dictamine voluntati proposita, agere, verùm etiam *fortiter*, per modum specialis *auxilii*, seu *motionis efficacis*, quâ voluntas ità elevatur, intrinsicè corroboratur, & actuatur, ut non modò *possit*, sed per vires gratiæ efficacissimas reipsâ *velit* suasioni congruæ morem gerere, & assentiri. Probatur,

Script. Synod. in artic. 3. & 4. p. 14.

In exam. Perk. 575.

1. Ex Scriptura, quæ quoties de peccatorum conversione verba faciat, non Dei *præscientiam* aut *prudentiam*, celebrat, sed gratiæ *potentiam* eámque operativam, energeticam & efficacem, Deus *operatur* ἐνεργεῖ in vobis, velle. Iterum inferentur, *potens enim est Deus ipsos iterum inserere* Judæos, scil. incredulos

Rom. 11. 23.

credulos & pervicaces. Deum orat Apoſtolus pro Theſſalonicenſ. ut compleat in iis opus fidei ἐν δυνάμει *in potentia.* 2 Theſ. 1. 11.
Similiter pro Coloſſenſ. ut *omni potentiâ potentes facti ſecundùm glorioſum robur ipſius ad omnem tolerantiam*, &c. Coloſ. 1. 11.
Item, pro Epheſiis, ut *ſciant quid ſit ſupereminens magnitudo potentiæ Dei, in nobis qui credimus ſecundùm efficacem operationem roboris virium ipſius* κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Epheſ. 1. 18, & 19.
Quid ultra dici potuit ad amplificandam gratiæ divinæ potentem efficaciam? Nequis autem hæc omnia, quod durum ſanè, in ſenſum traheret metaphoricum ſeu *potentiam* merè *ſuaſivam*, immediatè ſequitur, quod *exeruit in Chriſto, eo ſuſcitato ex mortuis.* Epheſ 2. v. 1.
Dein poſt tres verſiculos addit, *Et vos unà vivificavit, cùm eſſetis mortui in peccatis.* Facile eſſet plura in hanc rem congerere. Unicum addam: Ad Cor. 1. c. 2. ver. 4, & 5. *Sermo meus*, inquit Apoſtolus, *& prædicatio mea non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione Spiritûs & potentiæ, nè fides veſtra conſiſteret in ſapientia hominum ſed in Dei potèntia.* Ecce Apoſtolus apertè converſionem Corinthiorum non *perſuaſioni*, aut eloquentiæ humanæ, ſed Dei *potentiæ* inſolidum adſcribit. Gratia igitur *potenter* operans verbi ſuaſionem comitatur, eámque reddit in hominum cordibus efficacem.

Reſpondent nonnulli Apoſtolum eo loci per potentiam, extraordinariam miraculorum faciendorum virtutem intelligere. Sed fruſtrà, cùm de externo & ordinario verbi miniſterio verba faciat, quod affectatis rhetorum calamiſtris anteponat. *Judæi* (inquit) *ſignum petunt, & Græci ſapientiam quærunt, nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum*, &c. Simplex igitur & abje- 1 Cor. c. 1. v. 22.

ctus Christum prædicandi modus, miraculis opponitur, & per consequens miracula non supponit. Respondent
In collat. Hag. Remonstrant. Apostolum locis ad Philipp. Thessalonicens. & Ephesios adductis, agere de potentia Dei quâ utitur in iis qui *jam credunt*, non quâ utitur in convertendis *ut credant*, ideóq; controversiæ hujus statu non attingere.

Respondeo, Si Deus utatur potenti actione in iis qui *credunt*, multò magis *in credituris*, qui adhuc *mortui* sunt in peccatis. Nec absurdum est verba illa ad Ephesios, *in nobis qui credimus secundùm efficacitatem virium roboris ipsius*, ampliationem temporis admittere, ità ut in sensu diviso intelligantur hunc in modum, *Ut sciatis quæ sit illa magnitudo potentiæ* in nobis qui *credi-*
In collat. Hag. p. 293. *dimus*, (ità enim Remonstrant. corrigunt) secundùm efficacitatem, &c. Quicquid autem sit de posterioribus illis verbis *secundùm efficacitatem virium roboris ipsius*, quæ necessariò, vel ad fidem, vel ad salutarem rerum divinarum cognitionem pertinent; antecedentia illa, *quæ sit excellens magnitudo potentiæ suæ*, ad actum credendi, fatentibus etiam adversariis, omnino spectant. Unde sequitur, excellentem magnitudinem potentiæ divinæ esse ad actum credendi necessariam.

2. Quis nescit Ecclesias etiam Apostolicas, quibus epistolæ inscriptæ sunt, fuisse ex *credentibus* & *non credentibus*, piis & impiis, aggregatas; proindéq; in iisdem multa fideles, multa, (exceptâ professione) infideles, ut ii etiam vocatione suâ Christiq; nomine digni efficerentur, respicere. Non igitur necesse est, ut verba de jam conversis, aut vivâ fide in Christum credentibus, intelligantur. Respondent insuper prædictum ad Philippenses locum non exprimere modum, quo Deus in nobis

nobis operetur velle, qui enim ſuadet, velle efficit; unde Diabolus dicitur ἐνεργεῖν, in filiis contumaciæ. Sed contrà, Eph. 2. 2.

1. Si Deus non magis energeticè operetur per gratiam ſuam in nobis velle, quàm diabolus, ſequitur Deum, non magis eſſe cauſam in nobis bene volendi principalem, quàm diabolum malè volendi, quod abſurdum eſt.

2. Deus operatur in nobis velle (ut textus habet) ſecundùm ſuum beneplacitum, non ita diabolus. Ratio igitur operandi divina & diabolica longè differunt. Vide pag. 35.

Vindicatis Scripturæ locis, concluſio ſuprà poſita, probatur etiam ratione ſatis efficaci. Neq; enim *cæcus* videre claudus incedere, *mortuus* reviviſcere, ſolâ *ſuaſione*, cujuſcunq;, qualicunq;, aut qualitercunq; adhibitâ poterit, niſi inſuper virtutem intra ſe recipiat *phyſicè*, ſeu potiùs hyperphyſicè, & *potenter* operantem, ſanantem & vivificantem; qualem à ſe transiiſſe in curanda *Syrophœniſſa* animadvertit Dominus. *Amphionis* aut *Orphei* Lyram lapides permoviſſe, vel feras cicurâſſe, poetarum fabulæ ſunt. Sed homo lapſus naturaliter quoad ſpiritualia, & rectum uſum naturalium donorum imò et ſupernaturalium, cœcus, claudus; et non tantum languidus, aut ſemimortuus, ſed planè *mortuus* eſt. Ergò, aliquid ultra verba et voces, argumenta et ſuaſiones quantumvis congruas, adhiberi neceſſe eſt, ut homo morbum, et mortem hæreditariam deponat, nimirum ut novas vires et vitam per ſupernaturalem Spiritûs ſancti regenerantis influxum, recipiat, ſine quo non aliquid magnum, ſed planè nihil poſſumus. Luc. 8. v. 46. Eph. 2. 1.

Reſpondent Remonſtrantes gratiam prævenientem potentiam bene agendi conciliare, eandem irreſiſtibiliter Scripti Synod. circa artic. 4. p. 62.

ter imprimi, et physicè, seu potenter agere. Ad actus autem bonos eliciendos præsuppositâ hâc agendi potentiâ, per gratiam prævenientem collatâ, gratiam merè suasivam sufficere. Gratiam igitur *prævenientem physicè*, seu potenter *operantem* agnoscere videntur, non autem *adjuvantem* nisi merè *suadentem*. Sed contrà.

1. Quæstio instituitur, non de gratia *præveniente*; quâ *possimus*, sed de gratia *adjuvante* quâ *velimus* converti. Quærimus enim de gratia convertente ejusque efficacia, ut actualiter convertente.

2. In actibus *naturalibus*, præsuppositâ naturali potentiâ ad agendum sufficienti, requiritur insuper concursus divinus, *physicè*, et potenter, non *moraliter* solùm, in causam efficientem liberam, aut saltem in ejus actum, influens, ut fatentur adversarii; Ergò multò magis in actibus *supernaturalibus*, præsuppositâ per gratiam prævenientem potentiâ, requiritur actualis, & potens divinæ gratiæ adjuvantis motio, seu concursus, ad ipsos etiam bonos actus præstandos, & eliciendos.

3. Si gratia solùm moraliter suadens, suppositâ bene agendi potentiâ per gratiam prævenientem collatâ, sufficeret ad actum conversionis eliciendum, conversio actualis esset magis actio hominis quàm Dei. Imò, cùm multò præstantius sit bene *velle*, & *agere*, quàm *posse*; si *posse velle* converti sit à Deo, *velle*, à nobis divinæ suasioni liberè cedentibus & cooperantibus; omnino sequitur, nos quod minùs bonum est Deo, quòd longè majus est nobismetipsis, gratiæ prævenientis talento per liberum arbitrium gratiæ suasione excitatum bene *utentibus*, acceptum referre, quod *Augustino* olim, nec immeritò, absurdum videbatur.

De peccat. mer. & remiss. l. 2. c. 18.

Secundum

Secundum argumentum ſit. Qui operatur in nobis velle, ſecundùm *ſuum beneplacitum*, non noſtrum, is operatur in nobis velle, non tantùm *ſuaſoriè*, ſed *potenter* & phyſicè influendo in ipſum voluntatis actum. Sed Deus *operatur* in nobis, inquit Apoſtolus ad *Philip.* 2. 13. Velle ſecundùm *beneplacitum*, non noſtrum, ſed *ſuum*. Ergò, operatur in nobis velle, non tantùm ſuaſoriè, ſed phyſicè & potenter.

Major probatur. Qui enim agit tantùm ſuaſoriè, is non operatur in nobis velle *ſecundùm ſuum*, ſed omnino ſecundùm *noſtrum*, beneplacitum. Ratio eſt, quia ſuaſio, quantumvis congrua, voluntatem neutiquam certò ſibi ſubigit, aut determinat, nec ejus aſſenſum indefectibiliter efficit, cùm eâ poſitâ, voluntas adhuc poterit aliter agere, pro ſuo libitu. Eventum igitur ſortitur dependenter ab hominis beneplacito. Confirmatur ſimul & explicatur argumentum ſententiâ *Solomonis* Prov. 24. 1. *Cor regis in manu Jehovæ, ſicut rivi aquarum quocunque vult ipſe vertet.* Hinc argumentamur. Si Deus voluntatem etiam regis quocunq; voluerit inflectit, tum non agit *ſuaſoriè* ſolùm (cùm ſuaſio omnis in ejus poteſtate ſit qui perſuadetur) nec *permiſſivè* ſolùm, concedendo voluntati abſolutum ſui actûs dominium; nec *prævidendo* ſcientiâ mediâ quid voluntas ipſa priùs naturâ volitura ſit; ità enim non *Deus* voluntatem *hominis*, ſed *homo Dei voluntatem* quò voluerit *deflecteret*, quod abſurdum eſt, & Scripturæ contrarium.

Dico 2. Efficacia gratiæ convertentis, conſiſtit in actione Dei adeò potente, ut ſit *invicta*, hoc eſt, cui voluntas certò ſemper morem gerit, & infallibiliter aſſentitur. Voluntatem hominis, animalis, aut non converſi,

versi, gratiæ Dei, saltem ad tempus, non modò resistere posse, verùm etiam sæpissime solere, minimè dubitamus; imò nihil aliud, naturâ suâ, per gratiam nondum renovatâ, posse utrinque conceditur. Innatam autem illam pravi cordis duritiem, et refractariam contumaciam, tandem aliquando certissimè, potentissiméque superari, ut gratiæ divinæ efficaciæ locum libentissimè cedat, eíque liberrimè consentiat, in omnibus secundùm Dei propositum vocatis, asserimus, et probamus.

Corvin. cont. Mol. c. 37. § 1.

1. Gratia quæ semper sibi conjunctam habet *efficientiam*, tollendo actualem voluntatis resistentiam, est invicta. Sed gratia *efficax*, adversariis confitentibus, talis est. Ergò est invicta.

2. Gratia quæ certò, & infallibiliter in nobis operatur ipsum π *velle* ad Christum accedere, est invicta. Sed gratia efficax à Deo conversis concessa, est ejusmodi. Ergó. Major clara est, quia gratia illa, quæ velle in nobis certò operatur à nativa voluntatis resistentiâ nunquam vincitur, cùm voluntas nisi *nolendo* resistere non possit, aut eam vincere. Minor probatur Johanni 6. 37. *Quodcunque pater meus dedit mihi, venit ad me.* Venit ad me, scil. certò, infallibiliter, invictè. Similiter versu 45. *Omnis qui audivit à patre & didicit, venit ad me.* Non dicit, annotante *Augustino, potest venire* ad me, sed, *venit* ad me. Ubi infallibilitas effectûs non habet pro causa *studium discipuli*, sed *excellentiam magistri*, ut rectè *Bellarm.* Confirmatur argumentum, quia, si Christus in locis prædictis non agat de gratia invicta, & cui nullum cor durum resistit, verissimum esset aliquos à patre doctos, & Christo datos, non venire ad Christum, quod falsum est, utpote Scripturæ contrarium.

De gr. Christi, c. 14. De gr. & lib. arb. l. 1. c. 12. *Si illos quibus stultitia est verbum crucis pater docere voluisset, procul dubio venirent & ipsi. Si dixeris non omnes docet quia nolent discere, ubi est quod dicitur tu Domine convertens, vivificabis nos.* Aug. de prædest. c. 8.

Respondent

Reſpondent remonſtrant: per *audire* & *diſcere*, notari ſolum *diſpoſitionem*, ad converſionem in nobis per gratiam efficiendam, hoc eſt, ut ad Chriſtum veniamus, non autem ipſam *converſionem*. Regero, ſi conceſſerint effectâ illâ in nobis per gratiam *diſpoſitione* ipſam convertendi, ſeu ad Chriſtum veniendi *voluntatem* certò ſemper & invictè ſequi, nihil ultra impræſentiarum intendimus. Quod ſanè Dominus expreſsè ſatis aſſerit cùm dicat, *Omnis* qui audivit & didicit quicquid fuerit, *Venit* ad me. Ergò *nullus non venit*, aut gratiam hanc rejicit. Quod autem adverſarii pro conceſſo ſumant, gratiam *habitualem*, ſeu diſpoſitionem à gratia profecta, per ſe ſine gratia ulteriori *actuante*, ad ipſum convertendi actum ſufficere, falſum eſt. Poſitâ autem gratia bonæ voluntatis, ſeu ad Chriſtum venientis effectivâ, voluntatem non venire, impoſsibile eſt.

Script. Synod. circa artic. 4. p. 175.

Qui non venit, nec didicit. Aug. de gr. Chriſti, cap. 14. de Prædeſt. c. 7.

3. Gratia quæ tollit ipſam cordis duritiem ſeu reſiſtentiam actualem, eſt invicta, hoc eſt, nunquam vincitur, aut reſpuitur à voluntate. Sed talem gratiam Deus eccleſiæ in ordine ad converſionem promittit. Ergò convertendis datur gratia invicta. Major ex ſe patet, ſublatâ enim reſiſtentiâ voluntatem nunquam reſiſtere, clariſsimum eſt. Minor probatur *Ezechielis* 11. 19. *Tollam cor lapideum ex carne veſtra* &c. Ubi, per *cor lapideum* nihil aliud intelligi poteſt, *quam ipſam* malè agendi, ac proinde gratiæ Dei *reſiſtendi, voluntatem*, conſuetudine obduratam, bono naturaliter averſam, imò adverſam. Non pudet adverſarios reſpondere, Deum, hoc loco non promittere ſe daturum cor carneum, ſed *paratum* eſſe *dare*, omniáque in eam rem neceſſaria concedere, ſi modo homines non reſiſtant, ſed *velint* recipere; quaſi cor carneum *nolle* recipere non eſſet,

Ipſum cor lapideum non ſignificat niſi duriſſimam voluntatem, & adverſus Deum inflexibilem, Aug. de gr. & lib. arb. c. 14.

Ubi præcedit bona voluntas jam non eſt cor lapideum. Aug. ſup.

esset, ipsissima cordis *lapidei* natura, ut è contra *velle* recipere *carnei*. Volunt igitur Deum promittere se cor carneum hominibus daturum, si modò corde carneo velint illud recipere, quod insipidum est. Nec ab-simili-

Apud *Aug.* de gr. Christ. c. 23. ter olim *Pelagius*, Dei faciendo voluntatem divinam, inquit, mereamur gratiam, scil. currendo ad Deum, ei adhærendo, & ponendo cor nostrum in manu Dei, ut illud quo voluerit ipse declinet. Ergóne inquit *Augustinus, ut perveniatur ad adjutorium Dei, ad Deum curritur, sine adjutorio Dei?* Respondebunt adversarii se agnoscere Dei adjutorium, quo Dei gratiam cor carneum in nobis operantem recipimus. Sed quale? Non ipsius voluntatis, seu receptionis actualis effectivum, aut quod idem est, prædeterminativum, sed suasorium, aut ut posse conciliativum cujusmodi adjutorium *Pelagius*

Corvin. contr. Mol. c. 46. p. 682. etiam agnovit. Respondent alibi promissionem esse *conditionalem, si amoverint omnia detestabilia sua*, &c. Sed hoc non est *conditio* promissionis, sed *res promissa*, & cordis carnei non *antecedens*, sed *consequens*, & ef-

Ad artic. 4. § 6. fectus. Rectiùs in collatione, verbis illis indicari Deum tam efficaciter velle operari, ut actualis obedientia consecutura sit. Responsum hoc amplectimur, quanquam

Cont. Mol. c. 46. § 13. illud alio in loco retractet *Corvinus*.

Dico igitur tertio & ultimo, Efficaciam gratiæ convertentis consistere in actione Dei, non modo *potente* & *invictâ*, sed etiam insuperabili, indefectibili, & aliquo modo, *irresistibili*. Cùm vox hæc *irresistibilis* multis petra scandali sit, in quam, totam controversiæ hujus

In declarat. sent. Remonst. in Collat. litem, haud verè tamen, resolvit cum suis *Arminius*, primum explico, deinde confirmo, sententiam nostram. Explico, tum negativè, tum positivè.

Negativè 1. Gratia efficax non est irresistibilis, qua-

si

ſi humanæ voluntati ejuſque naturali agendi modo, *violentiam* inferret, aut eam contra propriam inclinationem *cogeret* in aſſenſum, quod falſum omnino, & etiam impoſsibile eſt. Voluntas enim ad volendum cogi non poteſt, ſi enim quis quocunque modo fiat *volens*, non *cogitur*.

Nec 2. Irreſiſtibilis eſt gratia efficax quaſi voluntas abſolutè loquendo, & quoad ſe, non *paſsit*, potentiâ ſaltem *remotâ*, gratiæ efficaciæ reſiſtere, vel ei non conſentire. Voluntas enim gratiâ efficaci mota, eſt tamen adhuc libera, non tantùm à coactione externa, ſed etiam, à neceſsitate naturali internâ. Habet ergò etiam ſub eâ radicalem quandam indifferentiam, ſeu potentiam remotam, flexibilem, æquè naturaliter, & liberè, ad oppoſitum. Poteſt enim voluntas ei reſiſtere ſi vellet. Illud autem ſimpliciter, irreſiſtibile eſt, ut rectè *Tuiſsius*, cui quis reſiſtere nequit quantumvis vellet; quo ſenſu *Auguſtino* mors propriè irreſiſtibilis eſt. Gratiæ autem efficaci voluntas, ſi vellet, nolendo reſiſtere poteſt, & in quantum poteſt nolle, poteſt reſiſtere. Dices non poteſt nihilominus *actu velle* reſiſtere.

In præfat. ad Vind. De Civit. Dei lib. 5. c. 10.

Reſp. Voluntas quoad ſe, ſuámque naturam internam, ſeu naturalem agendi modum, poteſt actu velle reſiſtere, quanquam ex ſuppoſitione præſcientiæ, veracitatis, voluntatis, & potentiæ divinæ, ſimpliciter, & abſolutè non poſsit. Si dixeris, his igitur tolli voluntatis libertatem. *Reſp.* Nullo modo. Deus enim efficaciſsimè vult, & facit voluntatem humanam, hæc liberè producere, ídque indefectibiliter, hoc eſt, ità ut deficere, ſeu aliter agere, non poſsit.

Vide Aquin. part. 1. qu. 23. art. 6. ad 2.

Nec 3. Ità irreſiſtibilis eſt gratia efficax, quaſi in

prima sui in animam receptione *nullam* unquam sentiat oppositam contumaciam aut *resistentiam*, saltem quoad opera quædam *inchoativa* & *præparativa* conversionis quod à theologis nostris in Synodo Dordracena concessum est.

Alvar. de aux. disput. 93.

Nec 4. Ità irresistibilis est gratia efficax quasi voluntas non posset eidem ad extremum usque & *finaliter resistere*, si gratia illa consideretur *præcisè* secundum suam *entitatem, viz.* quatenus est motio realis, seu entitas creata in voluntatem recepta.

Sed *positivè*, Gratia efficax conversionem, hoc est, actualem voluntatis cooperationem irresistibiliter operatur.

De aux. grat. disput. 23. & 83.

1. Quanquam non cogendo, *prædeterminando* tamen, voluntatem, prioritate scil. rationis, aut naturæ, ità ut certò, infallibiliter et indefectibiliter, hoc est, sine possibilitate defectûs aut frustrationis, ac proinde quadantenus necessariò, gratiæ divinæ cooperetur. Gratiam autem prædeterminare voluntatem, quicquid incautis suggerant adversarii, nihil aliud est ut explicat doctiss. *Alvarez*, quam *efficienter*, & *potenter*, idque *antecedenter naturâ* ad omnem voluntatis cooperationem, etiam *prævisam*, revera *facere* ut voluntas *se* liberè *determinet* ad volendum, hoc est, ipsissimâ Scripturæ phrasi, *operari in nobis velle, & facere*, ut quæ bona sunt *faciamus*. Deum autem *facere* nos *velle*, & nos *non velle* impossibile est. Ratio est, quia motio efficax prædeterminans, & voluntatis actio, fatente *Bellarm.* identificantur, hoc est, sunt una, & eadem actio à Deo, simul & voluntate proveniens. Ut igitur positâ actuali voluntatis volitione seipsam determinante, impossibile est, sensu composito, eam non liberè velle: similiter

Phil. 2. 13. Ezech. 36. 27. Heb. 13. 21.

De gr. & lib. arb. l. 1. c. 12. lit. D.

positâ

poſitâ gratiâ efficaci, impoſsibile eſt voluntatem eidem reſiſtere, ſeu non velle, ac proinde gratia efficax hoc ſenſu irreſiſtibilis eſt, ſalvâ etiam ejuſdem libertate.

2. Gratia efficax agit irreſiſtibiliter, non quaſi voluntas non poſsit *abſolutè*, ſi vellet, gratiæ reſiſtere ſecundum potentiam *remotam*, & radicalem, ſed quod hoc neutiquam poſsit *ſecundum quid*, hoc eſt, quoad potentiam *actualem*, *proximam* & expeditam. Ratio eſt, quia potentia illa voluntatis ad reſiſtendum nullo modo poteſt ad actum deduci, ſine actuali Dei ad volitionem ſeu nolitionem talem concurſu. Ejuſmodi autem concurſum, utpote Divinæ voluntati contrarium, Deus neutiquam largiri decreverit, ideóque potentia illa remota reſiſtendi, ſeu nolendi deduci non poteſt aliquo ſenſu in actum, & per conſequens, gratia efficax eſt aliquo modo irreſiſtibis.

3. Gratia efficax irreſiſtibilis eſt, licèt non quoad luctam omnem aut *pugnam*, tamen quoad eventum & *victoriam*, eò quòd innatam mali cordis contumaciam, aut reſiſtentiam tandem aliquando certiſsmè *vincat*, nimirum voluntatem renovando, & faciendo ex nolente volentem. Hujus enim gratiæ ſingularis effectus eſt *rigoris* corrupti *duritiem* in obediendi *mollire affectum*, ut appoſitè *Proſper*. Quanquam igitur conceſſum fuerit, Deum invito et reluctanti homini, primam inſpirare boni cupiditatem, dicimus tamen cum Sancto *Auguſt*. gratiâ hâc aditum divinæ vocationi procurari, ut homo jam ultra non ſit reluctans, ſed conſentiens bono, et volens bonum. Gratia enim non *cogit*, ſed *immutat* ipſam voluntatem imprimendo illi novam inclinationem in objectum, prius ex vitioſa tantùm inclinatione exoſum, ut rectiſsimè *Aquin*.

Ad Ruff. de lib. arb.

Cont. epiſt. Pelag. l. 2. c. 8. l. 4. c. 6.

1. 2. qu. 112. art. 3. de Veritate qu. 22. ar. 8. cor.

4. Gratia efficax irresistibilis est, licèt non ratione *entitatis* gratiæ in se *præcisè* spectatæ, tamen ratione præscientiæ, veracitatis, *voluntatis*, & omnipotentiæ *divinæ* gratiam hanc tanquam instrumentum, ad hominis conversionem certò & indefectibiliter peragendam, adhibentis. Non est autem in potestate ullius creaturæ, quamvis liberæ, Dei voluntati resistere. *Voluntati* enim *eius*, inquit Apostolus, *quis resistit?* Non est dubitandum, ait *August.* voluntati Dei qui in cœlo & in terra, quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates *non posse resistere*, quo minùs ipse faciat quod vult. Idem asseritin Enchir. cap. 95. Ratio est, Quia auxilium efficax ut est *instrumentum* voluntatis & omnipotentiæ divinæ agit in virtute *principalis* agentis, hoc est, Dei. Sed liberum arbitrium creatum Deo resistere non potest: Ergò, nec gratiæ Dei efficaci.

De corr. & grat. c. 14.

Quanquam autem mihi non adeò arrideat vox illa *irresistibilis*, ut pro ea retinenda, aut controversiæ huic quasi clavo, affigendâ vehementiùs contenderem, modò adversarii nobis concesserint, gratiam Dei ipsum conversionis actum, *potenter*, & immediatè, *in* & *cum* voluntate *operari*, etiam *antecedenter* naturâ ad ipsam voluntatis cooperationem ab ea effectivè causatam, adeò ut gratiæ illi nunquam *actu resistat* quicquid possit, (de possibilitatibus enim curiosæ semper atque inutiles disceptationes oriri solent) quanquam inquam pro termino illo *irresistibiliter* nollem digladiari, non insulsè tamen affirmari, gratiam Dei efficacem, voluntatem hominis liberam irresistibiliter movere, hoc est, ità ut aliquo respectu non velle minimè possit, sequentibus argùmentis, ut spero, probatum dabimus.

Primum ducitur ab absoluto Dei decreto. Gratia illa

illa quæ administratur secundùm *absolutum* Dei propositum sive decretum salvandi homines quosdam singulares, est irresistibilis. Sed gratia conversionis efficax ità administratur. *Ergò.*

Major apud omnes in confesso est; absoluta enim Dei voluntas de aliqua re efficienda est omnino irresistibilis.

Minor, ab *Arminio* ipso conceditur, nimirum gratiam efficacem non administrari, ut sufficientem ex decreto communis tantùm *providentiæ*, sed *prædestinationis*, quæ indefectibilis est, & effectum suum, per *media* indefectibilia semper sortitur. Sed probatur. Si gratia efficax conversionis non administretur ex absoluto Dei decreto salvandi homines quosdam singulares, tum fieri posit, ut posità qualicunque gratiæ efficaciâ, saltem ordinariâ, nullus unquam actu converteretur, & per consequens, ut Christus nullam haberet Ecclesiam, nulla membra mystica, nullos fratres, proindeque frustrà mortem oppeteret, quæ omnia, non modò falsa, & absurda, sed planè impossibilia sunt, quæ fieri non poterunt, cùm promisserit Deus Pater Christo, se *visurum semen suum*, & recepturum *gentes in possessionem hæreditariam.* Ergò, gratia conversionis est *irresistibilis*, & aliquo respectu rejici non potest. In exam. Perk. sect 16. lib. 1. part. 2. p. 229. Isai. 53. Psal. 2.

Ratio horum est, quia gratiæ *simpliciter resistibili* omnes æquè ac aliqui resistere possunt, & per consequens evenire possit, ut nullus hominum actu converteretur, ut nulla esset Ecclesia, & nullus Christi mortis effectus, in ullo homine salutaris, quod falsum, absurdum, & etiam impossibile est, utpote divinis promissionibus contrarium.

Remonstrantes in collat. Hag. incommodo hoc pressi Pag. 269.

preſſi clarè fatentur, *Deum irreſiſtibiliter facere*, (verba eorum ſunt) *ut ſemper ſint & mancant quidam credentes*. Rectè. Quæro jam de his credentibus, an non voluntate activè, & liberè concurrente crediderint? An non per actum obedientiæ Deo gratæ & acceptæ? Si in his conceſſerint, cur non in aliis? Quidni in omnibus? Quorſum fruſtra Eccleſiæ argutiis ſuis moleſtiam creant? Quod verò contendunt, aliud eſſe Deum ità rem dirigere ut ſemper ſint credentes, quod, inquiunt, irresiſtibiliter facit, aliud verò has aut illas perſonas ſingulares irresiſtibiliter convertere, imperceptibile planè eſt. Quomodo enim poſſibile eſt, ut Deus irresiſtibiliter faciat, ut aliqui ſemper ſint credentes, & interim nullum hominem faciat irresiſtibiliter credere. Si enim nemo irresiſtibiliter credat, falſum eſt irresiſtibiliter fieri ut aliqui ſint credentes.

Dicent igitur, ejusmodi decretum non eſſe admittendum, aut Deo adſcribendum, cùm creaturæ libertate ex diametro repugnat.

Lib. 4. c. 22. qu. 2. Audiant interim *Azorium* Jeſuitam. Pauci quidem juniores Theologi, ut voluntatem noſtram *liberam* faciant, faciunt *ſacrilegam*, dum negant Deum libera noſtra bona opera prædefinire. Et ſanè durum videtur Deum omnium rerum primam & omnipotentiſſimam cauſam, non poſſe velle, & efficere, ut voluntas creata liberè aliquid velit, antecedenter naturâ ad ejus volitionem; præſertim cùm velit, non modò ut faciat, ſed pari neceſſitate ut liberè faciat. Mirandum plane eſt, creaturam ſeu *cauſam ſecundam* aliquid *poſſe*, quod cauſa prima & univerſalis *minimè poſſit*: hoc eſt, actionem liberam determinare, & abſolutè velle hoc agere, ſine præeunte cujusquam prædefinitione.

Reſpon-

Respondent alii, Non repugnare absoluto Dei decreto, de salvandis quibusdam hominibus in singulari, quod aliqui, vel omnes *possint* non salvari, sed quod non *salventur*. Sed contrá. Absolutum Dei decretum, non modò frustrari, sed *posse* frustrari, absolutè, & quoad eventum, grande absurdum est; sequeretur enim Deum aut *falli* posse in decretis suis, aut *vinci*; ut sæpiùs *Augustinus*, quod fieri non potest. De corrept. & grat. c. 7.

Respondet *Corvinus*, Deum *certò* prævidere aliquos *credituros*, & *salvatum iri*, *qui* tamen *possent non credere*, non converti, & *salvari*. Sed quærimus, ô bone, de fundamento hujus certitudinis scientiæ divinæ. Agnoscimus enim Deum certò prævidere hominum liberam conversionem, sed quæritur de certitudine objecti, seu rei. Omnem enim scientiam, seu certitudinem *subjectivam*, esse certitudini *objectivæ* adæquatam, & proportionatam, certissimum est. Certitudo autem hæc scientiæ divinæ collocanda est, vel in *coexistentia* omnium futurorum in æternitate, vel in *congruitate* divinæ vocationis, vel in ipsa *voluntatis natura*, vel quod nos volumus, in *prædeterminante* gratiæ divinæ efficacia. Non in *actuali* rerum adhuc futurarum *coexistentia* in *æternitate*, quod implicat, & fatum inducit fatalissimum. Quod enim jam est, aliter fieri nè per potentiam divinam, poterit. Sed voluntas, secundùm hanc sententiam, in æternitate jam se determinavit actualiter in unam partem. Ergò aliter non potest se determinare, nè per potentiam divinam; quod enim factum est, infectum fieri nullo modo potest. Contr. Molin. c. 46. §. 17.

Non in *congruitate* divinæ vocationis, ut suprà vidimus, quam etiam *Corvinus* haud agnoscit. Non in ipsa *voluntate*, quia fatente etiam *Suarezio*, scientia certa & infallibilis futuri contingentis, ex Contr Molin. c. 44. De absol. scient. conting. l. 1 c. 3. num. 10.

causa proxima indifferenti, & indeterminata haberi non potest; eo quod nulla *necessaria* connexio sit inter causam & effectum, Unde sequitur, omnem certitudinem scientiæ fundari in aliqua rei scitæ necessitate. Ergò, certitudo præscientiæ divinæ circa voluntatis conversionem fundatur in gratiæ prædeterminantis efficacia.

Cont. mol c. 46. §. 17. Quem sequitur autor ἀνωνύμ.

Tandem respondet *Corvinus*, Quòd etsi nullus salvaretur, tamen constaret Dei electio, utpote cùm Deus *tantùm statuerit salvare fideles*; & etiam fructus mortis Christi, cùm is non sit immediata *salvatio* peccatorum, sed *salutis* per fidem conferendæ *impetratio*.

In format. status controv. de prædest.

Contrà. 1. *Corvinus* cum suis alibi profitetur se etiam singularium personarum ex fidei, ut præstitæ, prævisione electionem agnoscere. Non ergò tantùm statuit Deus *in genere* fideles salvare, sed etiam quosdam credentes *in singulari*; imò credentes facere, nisi existimet homines se Deo credentes exhibere.

2. Frustranea esset salutis per fidem conferendæ impetratio, si nemini ex decreto Dei certò foret applicanda. Quid quod Dei sapientiæ haud congruum videtur, se filium suum tam horrendæ morti tradidisse, incertum adhuc (quia inscium) an ulli hominum essent in eum credituri.

Hinc argumentum nobis suppetit secundum. 2. Si Dei præscientia de futura hominũ conversione sit *infallibilis*, tum gratia per quam efficienda est, est aliquo modo irresistibilis. Sed præscientia Dei infallibilis est, Ergo. Major probatur. Objectum scientiæ infallibilis non *potest* esse falsum, Sed posità gratiæ resistibilitate, objectum scientiæ infallibilis, hoc est, futura hominis conversio, licèt non actu sit, *possit* tamen esse falsum. Ergo gratia convertens non est resistibilis. Major conceditur, minor probatur. Quo posito, *Petri* e. g. futura conversio, quanquam certò sequatur, possit tamen non sequi,

illud

illud ponit objectum ſcientiæ infallibilis *poſſe eſſe falſum*, hoc eſt, eſſe fallibile, ſed poſitâ gratiæ omnis convertentis reſiſtibilitate, converſio *Petri* à Deo præſcita, poſſit non ſequi. Ergo poſitâ gratiæ reſiſtibilitate, objectum ſcientiæ infallibilis, eſſet fallibile, poſſit eſſe falſum, quia *Petri* converſio *poſsit* non ſequi, licèt actu ſequatur, ac proinde Dei præſcientia, quanquam non fallatur, non eſſet tamen infallibilis, cùm poſſit falli.

Si dixerint nos non poſſe Dei præſcientiam utpote infinitam, comprehendere, quid in idem etiam de voluntatis & gratiæ divinæ efficacia fateantur?

Argumentum tertium ſit hoc. 3. Quod Deus promittit ſeipſum per ſe in hominibus facturum, ſeu facturum ut homines faciant, illud ipſe per ſe indefectibiliter, & irreſiſtibiliter efficit. Sed Deus promittit ſe homines converſurum, ſeu in *iis facturum ut ambulent in viis ſuis, judicia ejus cuſtodiant, & faciant ea.* Ezech. 36. 27. Ergo Deus in converſione peccatorum gratiâ utitur inſuperabili, indefectibili, & aliquo modo irreſiſtibili. Major probatur Quia niſi gratia Dei convertens inſuperabiliter, & indefectibiliter, hoc eſt, ſine omni deficiendi *poſsibilitate*, ſeu irreſiſtibiliter, operaretur, pænès homines eſſet per innatam pravi cordis reſiſtentiam omnem Dei gratiam irritam reddere, atque in efficacem, & per conſequens ut Dei promiſſio compleatur, non in *Dei* ſed in *hominum* eſſet poteſtate. Nihil autem abſurdius dici aut cogitari poteſt, quàm penes hominum voluntates eſſe, Deum reddere mendacem, aut eccleſiam de ejus promiſſionibus dubiam & incertam, quod poſitâ gratiæ omnis converſivæ reſiſtibilitate, neceſſariò conſequi videtur.

Poſui vos inquit Chriſtus, ut fructum feratis, & fructus veſter maneat. Quis jam audeat dicere forſan non manebit. Aug. de Cor. & gr. c. 12.

Auguſtini argumentum eſt de prædeſtin. Sanct. c. 10.

Reſpondent qui alitur ſentiunt Deum hujuſmodi promiſſis, ſpondere, ſe hoc effecturum, non autem inſuperabiliter, & irreſiſtibiliter, ſed eo tantum modo, quo certò, & infallibiliter, prævidet homines obſecuturos, & converſuros. Sed 1. regero cum *Aug.* eodem loco. Aliud eſſe promittere Deum *ſe facturum ut faciant* homines ſtatuta ſua; aliud autem Deum *præſcire*, & prædicere, *alium* hoc vel illo modo congruè ſuaſum infallibiliter *facturum*. Hoc enim non eſt *promittere*, quid quiſquam ipſe faciat, ſed *prædicere*, quid alius facturus ſit. 2. Quicquid Deus promiſſerit ſe effecturum, id ratione divinæ veracitatis indefectibiliter, inſuperabiliter, & irreſiſtibiliter eventu ſortitur. Dicent igitur opinor Deum per vocationem, ſeu ſuaſionem congruam modo libertati humanæ accomodo, voluntatis aſſenſum certò efficere. Sed 1. Suaſio quantumcunque congrua, nihil propriè, ut vidimus, *efficere* poteſt, ſed tantum *allicere*, invitare, aut excitare cauſam verè *effectivam* per argumenta & rationes, unde multo minùs certò, & infallibiliter aliquid in voluntate, aut cum eâ efficere poterit, cùm, fatentibus adverſariis, poſitâ quacunque ſuaſione, vel fortiſſimâ, voluntas adhuc maneat indeterminata, & indifferens ad non agendum, aut aliter agendum pro ſuo libitu. Eſt igitur certitudo hæc non niſi moralis cui abſolute non repugnat voluntatem reſiſtere, ut agnoſcet *Suarez*. Qualem ſane & non aliam certitudinem ſtatuunt Remonſt. cùm aſſerant ſe gratiæ efficaciam in tali operatione conſtituere, quæ effectum ſuum certiſſimè ſortitur, cùm homo novam illi contumaciam non opponat, quam ex ſe opponere ſemper facilimè poſſit; hoc eſt, gratia efficax hominem certiſſimè convertit, quoties convertit, vel quoties voluntas

De aux. l. 3. cap. 14. Script. Synod. declarat. ſent. circ. art. 4. p. 15.

luntas velit, aut non nolit converti. Sed hujuſmodi & non aliam in effectis a Deo promiſſis certitudinem ſtatuere, quàm quæ ab ancipiti voluntatis humanæ libra dependeat, divinæ majeſtati veritatique haud congruum eſt.

2. Nihil ineptius eſt, ut rectè notat *Eſtius*, quàm dicere Deum promittere ſe facturum, ut ſtatuta ejus faciamus, ſi priuſquã promiſerit nos jam in *priori* ſigno rationis præviderit infallibiliter facturos, hoc enim non eſſet *promittere, quid* ipſe in *nobis erat effecturus*; ſed tantum *prævidere*, aut prædicere quid nos ipſi mediis ſeu auxiliis gratiæ ſufficientibus inſtructi acturi eramus; quaſi Deus nihil de omnipotentiâ ſuâ, aut prædeſtinationis voluntate quoad liberos voluntatis humanæ actus, certo promittere potuerit, niſi prævisâ prius voluntatis humanæ liberâ prædeterminatione, ſe ſecundum potentiam per gratiam ſufficientem acceptam, huc vel illuc independenter à Dei voluntate prædefiniente, ex abſoluto libertatis arbitrio, vertentis & inclinantis. Quod quantum Dei cauſæ primæ & univerſalis omnium entium quorumcunque, tum creaturæ, hoc eſt, cauſæ ſecundæ eſſentialiter quoad omnem actum etiam prævisum ſeu poſſibilem ſubordinatæ, conditioni repugnet, aliorum ſit judicium. Ab omni ſanè ratione alienum videtur, Deum omnipotentem, cauſarúmque primam, non poſſe aliquid in nobis, ſalvâ voluntatis libertate, velle operari, niſi nos ipſi prius naturâ velimus. Libertati noſtræ injurium eſſe voluntatem noſtram a Deo prædeterminari, ut hoc vel illud, liberè agere ſe determinet; & nos abſque omni injuria Dei libertatem ità prædefinire, ut nihil in hominis voluntate, aut per eam operari poterit, niſi quod homo ipſe prius voluerit. Quod

Lib. 2. ſent. diſt. 28. ſect. 3. Comment. in Philip. c. 2. v. 13.

Deus iis quos præſcrivit quæ promiſit futura fecit. Aug. de cor. & gr. c. 12.

quid aliud est quam creaturas liberas à providentiæ divinæ regno eximere, & causam primam in secundam, secundam in primam, ausu plusquam temerario transmutare.

Ad Rom. 8. 30. 33. 35.

Argumentum quartum. *Si quos Deus præscivit, prædestinaverit; quos prædestinavit, vocaverit; quos vocavit, justificaverit; quos justificavit, glorificaverit;* tum gratia conversis, sive vocatis concessa, agit indefectibiliter, indeclinabiliter, seu irresistibiliter, Sed verum prius, ergo & posterius. Consequ. probatur. Quia si gratia non agerit in cordibus hominum indeclinabiliter, indefectibiliter, seu irresistibiliter, moraliter impossibile esset omnes præscitos prædestinari, omnes prædestinatos vocari, omnes vocatos justificari, omnes justificatos perseverando, glorificari.

Eos ipsos non alios Aug. de prædest. c. 17.

Eorum enim aliqui certò certius resistibilis gratiæ operationi actu, & finaliter resisterent, quod ex adversariorum sententiâ sæpissime faciunt, & per consequ. multi prædestinati non vocarentur, multi vocati non justificarentur, multi justificati, aliqui saltem non glorificarentur, ac proinde vix opus esset ut triumphum ante victoriam caneret Apostolus. *Quis intentabit aliquid adversus Dei electos? Quis nos separabit a Dei charitate?* Confirmatur argum. quia propositio de omni, ut norunt logici, est necessaria, & quod eodem modo certò semper agit, non merè contingenter operatur, sed aliquo modo necessariò seu irresistibiliter.

Respondent nonnulli, Deum omnes quos vocat justificare, & quos justificat glorificare, quantum in se, & quoad media sufficientia, & necessaria, si modo iis uti velint. Sed longe distant media ad justificationem, & salutem sufficientia & necessaria alicui concedere, & eundem

eundem revera juſtificare, & ſalvum facere. Deus enim hoc ſenſu ſecundum illos, non quoſdam tantum, ſed omnes juſtificat, & glorificat, imò quos juſtificat & glorificat; non magis juſtificat & glorificat, quàm quos non juſtificat & glorificat. 2. Fatentur ergo actualem juſtificationem & glorificationem Deum nemini largiri. Ex proprio igitur emergit hominum arbitrio, quod adverſarii diffitentur.

Deus nobis dat non ut velimus, ſed ut velle valeamus. Pelag. apud Aug. de de gr. Chriſti cap. 4.

Argumentum quintum. Si gratia Dei non ſit irreſiſtibilis, tum voluntas humana poſsit omnem Dei gratiàm in converſione hominum ordinariè adhibitam irritam facere, atque inefficacem. Sed conſequens abſurdum eſt, Ergò & antecedens. Probatur abſurdum eſſe. Si voluntas ità poſsit reſiſtere cuicunque gratiæ efficaci, tum voluntatis non-reſiſtentia, à qua eſſentialiter dependet gratiæ efficacia, vel profluit à ſeipſa, vel à gratia. Si profluat à ſeipſa, tum gratiæ efficacitas, & actualis hominis converſio, non eſſet in ſolidum Dei gratiæ, quod præ ſe ferunt, & agnoſcere videntur adverſarii, ſed libero hominis arbitrio ex ex parte ſaltem, eâque maximâ, recepta referenda. Quod verò hæc non-reſiſtentia, non fluat à gratia convertentis efficaciâ; probatur,

In Collat. Hag. p. 263.

1. Quia gratiæ hujus efficacia à voluntatis non-reſiſtentia, ſuſpenſa eſt, ut adverſarii fatentur; eam enim gratiæ efficaciam ſtatuunt, quæ effectum certò ſortitur, ſi homo velit, aut non-nolit. Ergò gratia hanc voluntatis non-reſiſtentiam minimè cauſat, cùm ab eadem ejus efficacitas ſemper ſuſpenſa ſit, & ſæpiùs impedita.

2. Poſitâ gratiæ illius efficaciâ in actu ſecundo, voluntas adhuc ſecundùm eos poteſt reſiſtere, imò frequenter actu reſiſtet; Ergò, quòd voluntas cùm poſsit gratiæ

gratiæ huic ad ultimum efficacitatis ſuæ agenti reſiſtere, non reſiſtat tamen, non eſt à gratia, ſed à voluntatis libertate. Ratio eſt, Quia gratia illa, cùm voluntatem neutiquam determinet ad conſentiendum, aſſenſum ejus minimè cauſat, ſed omnino liberam & indifferentem relinquit ad reſiſtendum, ſi modò velit. Quod ergò non actu velit reſiſtere cùm poſsit, proprii arbitrii res eſt, non gratiæ Dei. Audiamus *Grevinchovium* hæc ingenuè agnoſcentem. *Ego*, inquit, *meipſum diſcerno. Cùm enim gratiæ divinæ reſiſtere poſſem, non reſtiti tamen. Atque in eo, quidni mihi liceat tanquam de meo gloriari? Quod enim potui, Dei quidem (per gratiam ſcilicet prævenientem ſeu ſufficientem,) miſerentis eſt; quod autem volui cùm poſſem nolle, id meæ poteſtatis.* Præclarè, ut Apoſtolicæ doctrinæ *Remonſtrantem* decuit, nos paulò aliter inſtituenti, *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei.* Quod propterea dictum eſt, inquit *Auguſt.* ut *totum* Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.

Differt de elect. ex præviſa fide.

Poſſe Dei eſt, velle arbitrii.

Ita Pelag. apud Aug. de gra. Chriſti c. 4.

Enchir. cap 32.

Supereſt jam ut argumenta, quæ nec pauca quidem numero, nec levia pondere ſunt, contra theſin hanc militantia, tanquam nebulas ſoli oppoſitas profligarem. Nè autem videar patientiâ veſtrâ, *humaniſſ. Auditor.* ambitioſius abuti, unum vel alterum, quæ inter præcipua locum obtinent impræſentiarum tantùm attingam. Primum ità ſe habet. Deus in convertendis peccatoribus *ſuaſione* utitur, ut conceſſum eſt. Ergò, non hoc præſtat *actione potenti*, atque irreſiſtibili, cui voluntas reſiſtere omnino non poſsit. Ratio eſt, Quia *moraliter*, ſeu ſuaſoriè agere, & *phyſicè* ſeu itreſiſtibi iter movere, contradictoria ſunt. Ità *Arminius*, *Collatores*, aliíque.

Re-

Reſpondeo. Utrumque agendi modum optimè inter ſe convenire. Deus enim, ut ipſi etiam fatentur adverſarii, concurrit ad omnes actus naturales creaturarum rationalium *phyſicè*, ſeu ad modum cauſæ physicæ, & potenter, concurſu ſaltem collaterali, & concomitante: Argumenta interim hominum mentibus objicere ſolet, quibus perſuasi ſe ex proprio concilio moveant in fines præſtitutos, Verbo dicam, Deus tum *ſuaviter* agit ſuadendo, tum etiam *fortiter*, argumenta illa efficaciter perſuadentia per Spiritûs ſui virtutem voluntatem intus moventem, faciendo. Quam in rem, modum agendi, ſi non physicum, ſaltem plùs quàm moralem neceſſarium eſſe, ipsi etiam Remonſtrantes concedere coguntur. Cujus rei ratio manifeſta ſatis eſt, quia *argumenta* ſeu motiva moralia, voluntatem in alteram partem minimè *determinant*, ſed tantùm *inclinant*. Plurimùm autem inter ſe differunt hominem argumentis maximè ad perſuadendum idoneis ſuadere, & eidem perſuadere, ut aſſenſum certò & infallibiliter accommodet. Script. Synod. in declar. Sent. in artic. 3. p. 20.

Objicitur 2. Et argumentum eſt revera palmarium. Si voluntas moveatur in conversione à gratia *irreſiſtibiliter*, tum non *liberè* convertitur. Sed liberè convertitur, ergò non irresiſtibiliter. Major probatur, quia ſi irreſiſtibiliter convertatur, convertitur *neceſſariò*, ità ut non converti minimè poſſit. Illud autem *liberè* fit, quod ità poſitis omnibus ad agendum requiſitis fit, ut poſſit non fieri.

Reſp. 1. Definitio illa *liberi arbitrii*, quod ſit, id quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, vel non agere; nec apud Ariſtotelem, nec apud Magiſtrum ſententiarum, nec apud Thomam uſquam invenitur, ut rectè obſervat Doctiſſ. *Alvarez*. Imò De aux. Diſp. 115.

si de potentia quidlibet agendi *absolutâ*, & simpliciter illimitatâ intelligatur, novitium figmentum est è Jesuitarum cerebris ortum; inquit Doctiss. *Prestonus*, manifestam in se continens θεομαχίαν. Dicimus ergò, idem posse *liberè fieri* & simul aliquatenus *necessariò*, respectu nimirum habito ad diversa, ut ex *Augustino, Aquinate, Cajetano, Durando, Bonaventura, Bradwardino*, nec non *Ægidio, Soto, Medina, Banneſio*, aliisque melioris notæ scholasticis, quicquid contra in articulis dictet *Arminius*, pluribus ostendit *Alvarez*, nec non *Tuissius*, & qui *Arminii* placitis nervosè respondet *Rhetor-fortis*.

De grat. irresist.

De aux. Disp. 25. Vin. l. 2. part. 1. digr. 5. Exerc. 1. c. 4.

2. Quòd libertati humanæ essentiale est, omni homini liberè agenti necessariò competit. Sed hujusmodi indifferentia, seu potentia non agendi absoluta, non competit omni homini liberè agenti, Ergò non est de essentia libertatis. Probatur exemplo Christi, qui ut homo, omnia à patre suo prædefinita liberè tum egit, tum passus est, nec tamen ideo non velle aut non obedire potuit, eò quòd peccare non potuit. Necessariò igitur, simul & liberè transacta sunt omnia. Argumento huic respondet *Morisanus*, acerrimus prædeterminantiũ adversarius, nec non autor ἀποκυρώσεως, Christi voluntatem *secundùm se* & intrinsecam suam dispositionem, potuisse non Deo obedire, ac proinde peccare, & hoc, inquit, ut liberè agere quis dicatur satis est. Quanquam eadem Christi voluntas, ut suberat custodiæ *Verbi*, non poterat *absolute* (licèt secundum quid) non obedire. Hoc illud ipsum est quod nos contendimus, nimirum libertati humanæ stabiliendæ satis esse, si modo voluntas, quantum ad se, suámque dispositionem naturalem flexibilem vitaliter ad oppositum, possit *absolutè* gratiæ divinæ resistere, quamvis ratione præscientiæ, promissionis, aut voluntatis divinæ, vel aliquo alio *respectu* non possit

In Disput. physicis. p. 361. t. 13. §. 39.

actu

actu reſiſtere. Quid quod omnes penè autores, etiam illi qui ſententiam noſtram oppugnant, ſub diſtinctionibus ſenſûs diviſi, & compoſiti, neceſsitatis conſequentis, et conſequentiæ, abſolutè, et ſecundum quid, agnoſcant idem vario reſpectu eſse poſse tum liberum, tum neceſsarium. Obduratus ità deſtituitur Dei auxilio, ut non *poſsit moraliter* non cadere. Ità *Bellarm. Liberè* tamen cadit, ut utrinque in confeſso eſt. Motio divina efficax quæ quoad ſe *reſiſti poſsit*, quatenus tamen præſcitur, *non poteſt reſiſti*, nec tollit libertatem, quia eſt impoſsibilitas ſecundum quid, et ex ſuppoſitione tantúm. Ità *Leſsius*. Deus Judam prævisâ infidelitate damnare decrevit, ergò *neceſſariò* damnabitur, nec ſalvari *poteſt* in ſenſu compoſito. Ità *Corvinus:* Petrus congruè vocatur (quod tamen non in ejus poteſtate, ſed pendet à Dei voluntate) ergò *neceſſariò* conſentiet, neceſsitate ſcil. *conſequentiæ*. Ità congruæ vocationis aſsertores. Liberè tamen conſentiet. Unicum addam, *Arminium* ipſum, qui fatetur oſsa *Chriſti*, ſublatâ Dei determinatione, frangi *potuiſſe*, at poſitâ illâ per Dei decretum determinatione, frangi omnino *non potuiſſe*. Milites autem oſsa ſemper in ſe fragilia *liberè* non fregiſse, in confeſso eſt. Frangi ergo potuerunt, oſsa *quoad ſe*, erant enim ſuâ naturâ fragilia. Frangi non potuerunt, *ratione decreti divini*, quia ſcriptum erat (et Scriptura frangi non poteſt) os ejus non cõminuetur. Deſinant igituradverſarii, neſcio quæ contradictionum portenta nobis objicere, nè ſibimetipſis etiam contradicant. In eundem modum loquitur et Spiritus ſanctus in Scriptura. *Impoſsibile* eſt ſcandala non evenire. Seducent, ſi *poſsibile* eſſet, ipſos electos. Natus ex Deo *non poteſt* peccare. In quibus loquendi formulis haud quiſquam obeſæ adeò naris eſt, quin

De amiſſ. gr. l. 2. c. 14.

De grat. efficaci c. 18.

Cont. Mol. c. 12. p. 195.

In Collat. cum Junio.

Luc. 17. 1. Matt. 24. 24. 1 ad Joh. 3. 9.

perſentiſcat neceſsitatem quandam cum libertate certiſſimè, ſuaviſſimèque conſpirantem.

Conſule Aquin. 1. part. qu 23. art. 6. ad ſecundum.

3. Et ultimó. Reſpondeo, poſitâ gratiæ efficacis irreſiſtibilitate hominem liberè adhuc converti. Ratio eſt, quia voluntas quoad ſe, & naturalem diſpoſitionem, ſeu agendi modum, *poteſt* abſolutè loquendo, & in *ſenſu* (quod aiunt) *diviſo* non velle converti, quod libertati ſtabiliendæ, ut autores ſuprà citati fatentur, ſatis eſt; quamvis ex ſuppoſitione divinæ præſcientiæ, voluntatis, aut veracitatis, *impoſsibile* ſit eandem non converti, in *ſenſu* nimirum *compoſito* & ſecundùm quid. Dicimus igitur, non eſſe de eſſentia libertatis ut voluntas poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſit omnimodè non converti, in ſenſu nimirum compoſito. Non negamus interim, voluntatem in ſe habere potentiam quandam remotam reſiſtendi graciæ efficaci. Contendimus autem hanc potentiam ad actum reduci non poſſe, ſalvâ præſcientiæ, & providentiæ divinæ tum infallibilitate, tum indefectibilitate. Nos autem ità voluntatis libertatem tueri cupimus, ut eandem Dei libertati atque dominio ſubjectam, & eſſentialiter ſubordinatam ſtatuamus. Voluntatem autem humanam eſſe primam & abſolutam ſui motricem, & determinatricem, ità ut operatio ejus, ſive volitio, quâ ſe determinat, non reducatur in Deum, ejúsq; voluntatem tanquam cauſam primam efficientem, ſed ab ejus providentia eximatur, abſurdum eſt, &, ſi qua *Azorio* fides, ſacrilegum. Aſſerimus igitur, Deum ut cauſam omnium entium primam, ab æterno voluiſſe ut voluntas humana ſe liberè determinaret in ſui converſione; Dei autem voluntatem non indè tollere, ſed potiùs efficaciſſimè ſtabilire, humanam libertatem; eo quòd nihil

Deus magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quam ipſi ſuas. Aug. de cor. & gr. c. 14.

agendum

agendum esse decernat, nisi interveniente libero hominis consensu, rationis judicio præeunte, ut causâ non primâ quidem, sed proximâ prædeterminante, ità ut ultrò, & cum delectatione operetur. Si quis dixerit, Deum hanc voluntati libertatem indulgere, ut absolutè quicquid ipsa voluerit nullo prædefiniente agat, illud ut Dei providentiæ creatæque libertati repugnans, respuimus.

Quod si iterum objiciatur, posito intellectûs judicio, eóque indifferenti, nec non internâ voluntatis flexibilitate ad oppositum, adhuc tamen impossibile esse ut voluntas aliter agat, quàm à Deo per gratiam prædeterminantem moveatur: Respondeo, hoc nihil aliud esse quàm Deum *certò* & *indefectibiliter* efficere, ut voluntas creata hoc vel illud *liberè* agat. Quorum utrumque apud omnes certissimum est. Quis dubitet Petrum præsuppositâ Christi tum oratione, tum promissione, non *potuisse* à fide sua totaliter & finaliter deficere? Eundem autem libertimè *perseverâsse* extra controversiam est. Gentes liberè in Christum credidisse, proindéque Abrahæ filios evasisse omnes fatentur; eosdem autem *certò*, necessariò (quoad eventum) indefectibiliter, seu irresistibiliter, credidisse æquè sentiendum est; aliàs enim in eorum potestate fuisset, Dei promissionem Abrahæ, quod pater credentium futurus esset, factam, irritam reddere, & falsam, quod erat impossibile. Luc. 22. 32. Rom. 4. 13. & 17.

Ultimò, objiciunt Remonstrantes, Si Deus in conversione hominum eam adhibeat efficacitatem gratiæ, quâ positâ non possint non converti, hinc sequi duo enormia absurda. 1. Quòd non alii converti possint, quàm qui actu convertuntur. 2. Non posse quen- In Script. Synod. circa art. 4. de grat. operat. pag. 142.

quam converti, antequam reipsâ convertatur. Unde consequitur, omnes Dei in Scriptura hortationes, obtestationes, objurgationes, esse quoad non conversos frustraneas; omnem denique mediorum externorum usum inutilem & supervacaneum.

Resp. Neutrum sequitur. Aliud enim est hominem certò, & indefectibiliter *velle* converti, aliud *posse* converti, si voluerit. Ex irresistibilis gratiæ absentiâ minimè sequitur hominem non *posse* se convertere (illud enim supposità gratiâ sufficienti omnino potest), tantùm sequitur hominem neutiquam certò *velle* converti. Gratia enim sufficiens *posse* conciliat, efficax autem *velle* in voluntate operatur. Negatio igitur gratiæ efficacis non probat hominem non *posse* converti, aut non priùs quàm actu convertatur, sed non priùs *velle* converti; quod certissimum est.

2. *Resp.* Ex adversariorum sententiâ, neminem converti *posse* sine interna Spiritûs sancti illuminatione, quam Deus, ipsis etiam fatentibus, irresistibiliter in mentibus hominum operatur; num exinde sequitur neminem *posse* converti, quàm qui actu convertatur, aut neminem *posse* illuminari, quàm qui actu illuminantur? Si concesserint; quæro, an indè frustraneæ sint omnes verbi divini hortationes, objurgationes, &c. quibus homines adhuc ignorantiæ tenebris immersi, ad Dei voluntatem cognoscendam extimulantur. Si negent, videant an non frustraneæ, & futiles sint hujusmodi in gratiæ efficaciam etiam irresistibilem, argumentationes?

Vide Bellarm. de grat. & lib. arbit. l. 2. cap. 15. pag. 566.

Dico igitur 3. externum verbi ministerium, sacramentorum usum, Scripturæ hortationes, obtestationes, &c. esse supposità gratiâ irresistibili necessaria eò

eò quòd Deus gratiam hanc ordinariè nemini largiatur, nisi per media externa eum in finem ab ipso instituta, & per consequens virtute præcepti necessaria. Neque enim Deus enthusiasticè, aut per modum naturalis instinctus, gratiam in hominibus operatur, sed per argumenta, suasiones, & motiva, ut vocant, moralia. Verbo absolvam omnia. Internus Spiritûs sancti influxus (per quem non tantùm intellectus, ut in confesso est, irresistibiliter (cooperante interim verbi suasione) illuminatur, sed voluntas etiam simili modo trahitur, ut eidem suasioni certissimè, liberrimèque consentiat) ordinariè nemini extra verbi sacramentorúmque usum conceditur, ac proinde gratis à quoquam expectatur. Qui sanè Spiritûs sancti influxus, etiam irresistibilis, tantùm abest, ut media gratiæ externa inutilia quovis modo reddat, aut frustranea, ut è contrario, ejusdem peculiaris effectus sit, eadem utentibus efficacia præstare, ità ut eorum conversionem, quod per se non possunt, certò indefectibiliter, irresistiliter, hoc est, infrustrabiliter, operentur.

FINIS.